IAC. CAPPELLI
VINDICIARUM,

PRO

ISA. CASAVBONO

LIBER I

ADVERSUS

HERIBERTUM ROS-VVEYDUM.

JACOBUS CAPPELLUS HERIBERTO ROS-VVEYDO S.

NIhil mirum si plerique Romanæ Sedis ordines tuæ, ROS-VVEYDE, societatis accessum reformident, cùm videant, eam, ubicunque tandem pedem figit, non tantum primas obtinere velle, sed & aliis leges ferre.

Quàm legum ferendarum cupida sit, vel ex tuarum adversus Casaubonum diatribarum titulo quis colligat. Nam cùm in iis vel quidquam edisseras eorum, quæ divinæ vel humanæ leges à nobis postulant, sed observatiunculas aliquot maximam partem Grammaticas, tu tamen iis hunc titulum præfixisti: LEX TALIONIS XII. TABULARUM. Sed vide, ne tuæ societatis tam invisum fiat nomen; tam brevis sit authoritas, quàm olim Decemvirorum fuit, qui XII. tabulas condiderunt, vide ne Decemvirorum nulli potiùs quàm Appio sis comparandus tam iniquo, quàm violento, regnandique cupido, dumque sponte cæcutiens adversus Deum insurgens tandem in miseriorem Appianâ cæcitatem incidas. Statim initio tuæ præfationis gloriaris, quod nemo nostrorum responderit libro, quo persuadere conaris falsò sedem Rom. perfidiæ damnari, quum suis hostibus, quos hæreticos credi vult, fidem servandam negat. Jam non est, quod de silentio nostro queraris, cùm tuis strophis ante biennium responderim statim initio libri, quem de Babylonis elogiis scripsi. Sed ut es scribendi, vel viros illustres impugnan-

gnan-

gnandi cupidus, vix dum in lucem prodierant exercitationes Baronii, cum in illum *XII. tabularum talionis legem* condidisti, futurus scilicet *Herculis* Baronii defensor adversus *Pygmæum* Casaubonum. Casaubonianarum certè exercitationum brevitatem cum Baronianorum Annalium mole si compares, habebis forte cur alterum *Pygmæum*, alterum Herculem voces.

Sed sive Latinæ, sive Græcæ, sive Hebraicæ linguæ cognitionem consideres, tuum Herculem Pygmæus noster multis parasangis antevertit. Quod eundem etiam Scorpium indigitas, facis id pro cæterâ tuâ modestiâ. Lege talionis non agam, par pari non referam. Vindicias scribo, non Satyram. Quem tu Scorpium vocas, is mihi semper visus est & pius & humanus, nisi forte diu provocata tandem in nervum erumperet bilis. *Furor fit læsa sæpiùs patientia.* Vix ullum est tam candidum, tam benignum pectus, qui virulentis calumniis exulceratus non tandem exasperetur. Si quid igitur acerbiùs in tuam societatem scripsit Casaubonus, memineris quot modis, & quàm indignis fuerit lacessitus. Sed enim, inquis, *Cum Baronius scribebat, ubi tum eras?*

Cum scribere cœpit Baronius, junior erat Casaubonus, quàm ut manum cum tanto veterano consereret, & humanioribus literis exornandis potius quàm polemicis scriptis adornandis incumbebat. Sed ex quo Lutetiam delatus sensit ad disputandum sæpe se provocari, quietum hominis ingenium eò perpulistis, ut cogeretur polemica vestrorum, nostrorumque scripta in manus sumere. Sed Baronium imprimis ut à priore suorum studiorum instituto minus discedentem. Nam ad historiam Augustam quam exornarat quàm proximè accedit Ecclesiastica, in

qua non esset tyro, docuit A. D. 1607. libro singulari de libertate Ecclesiastica, cuius jam paginæ 264. typis erant editæ, cum Rex Henricus IV. Augustæ memoriæ compositis jam Venetorum cum P. R. controversiis vetuit ultra progredi, & hoc ipsum, quod fuerat inchoatum, supprimi voluit, ut eius pauca nunc extent exemplaria. Eo fere tempore, cum magnus ille Rex Casaubonum rogaret, quid sentiret de Baronio, de Bellarmino, respondit ab his se plurimum confirmari. Quî tandem, ajebat Rex, quia nihil non tueri volunt, respondit Casaubonus: Tum Rex *Peßimum*, inquit, *factum, sed ut de his quid sentias, scripto testeris, id non fert rerum mearum status.* Hæc à Casaubono mihi tum narrata triennio circiter ante Regis mortem mihi testis est Deus. Tu si mihi non credis, scias multò minus me credere, quod ais *an excidit tibi, Casaubone, quàm sæpe de fidei rebus controversis cum Ill.*^mo^ *Cardinale Perronio egeris, ut graviβimis eius convictus disputationibus fidem dederis fore, ut proximis feriis Pentecostes anni M DC X. hæresin ejurares? Sed execrandum Regis Christianißimi parricidium consilia tua intervertit.*

Contrà, si quid tale promisisset Casaubonus, ea mors promissionis executionem accelerare, non comperendinare, nedum intervertere debuisset. Tum enim nostrorum plerique tam sibi metuendum putabant, quàm se tutos sub Regis tanti tutela viderant. Interim non nego tantam esse Perronii Cardinalis eloquentiam, acumen, memoriam, ut potuerit hominem in hujusmodi disputationibus minus versatum nonnunquam commovere, & ad quædam incautius fatenda adigere, quæ postea comperiebat esse falsissima. Casauboni filium à Georgio

Stra-

Strachano Mathematicis diſciplinis Pontificiæ doctrinæ corruptelas admiſcente in præceps datum facile crediderim. Sed quod Strachanus gloriatur id ſe patris precibus ac conſilio feciſſe, quàm id ſit falſum, ſcio, qui viderim, quàm hujuſmodi rumores iniquè ferret, quàm altis ſuſpiriis filii caſum lugeret etiam biennio poſt, cum in eius rei forte mentionem Londini me præſente incidiſſet
A. D. 1612.

Caput I.

Expenduntur quædam loca Zvvinglii, Jobii.

TAbularum tuarum XII. primâ Caſaubonum damnas, quod improbet quædam ſecus dicta à Clemente, Juſtino, Jobio, cùm Zuinglium duriùs locutum ſilentio transmittat. Atqui non diſſimulavit Caſaubonus aliquem è noſtris in eundem lapidem impegiſſe, ſed eius nomini pepercit. Zuinglii mentem ut capias, memineris eum de vera & falſa religione Franciſco I. Galliarum Regi ſcribentem A.D.1525. dicere fol.167. *Abdicat Geneſeos 6. Deus hominem ut degenerem, quod caro factus ſit totus. Quid igitur quæſo cogitat, quàm quæ carnis ſunt?* Ibidem fol.168. fatetur *Ethnicos omnia gloriæ cupiditate facere ſolitos*. Idem cum A.D.1535. fidei confeſſionem eidem Regi dicaret, *Videbis*, inquit f.559. *Abelem, Henochum, & Herculem, Theſeum, Socratem, Ariſtidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, hîc anteceſſores tuos, & quotquot in fide hinc migrarunt, majores tuos videbis*. Has poſtremas voces *& quotquot in fidei*, &c. non debueras omittere. Ex his enim colligi poſſe videtur, Zuinglium in facti quæſtione potius, quàm in quæſtione juris erraſſe, quod ſibi perſuadeat, Herculem, Theſeum, &c. tam verâ fide, quàm heroicâ quâdam fortitudine fuiſſe præditos, non ſecus ac Gedeonem, Samſonem, Davidem: vel ſi Zuinglius hîc etiam in quæſtione juris erravit, hic eius fuiſſe videtur error, eos omnes, quos Deus extraordinariâ quadam fortitudine, ſapientiâ, virtute donat, etiam verâ fide ratione quâdam arcanâ donari. Utut ſit, cùm ſocios erroris habeat Zuinglius Vivem Hiſpanum & Andradium A Luſitanum, ut veteres omittam, cùm Zuinglium in hoc noſtrorum nemo, quod ſciam, ſecutus ſit, nec tu noſtris Eccleſiis, neque nos Romanæ debemus hunc errorem imputare.

Jobium quod conaris excuſare, facis humanè. Sed nihil inhumanum facit Caſaubonus, qui putat, Jobium humanitus aliquid paſſum, nec ſatis ſolidè ratiocinatum, quod & innuit Photius, cuius beneficio ſuperſunt aliqua Jobii fra-B gmenta. Solidè quidem eoque conſtanter à multis Patribus dicitur, Chriſtum, cùm ſit λόγος, omnibus ἀλογίας noſtræ morbis mederi poſſe. Sed ſi quæris, cur Filius potiùs q̃ Pater aut Spiritus S. Caro factus ſit, reſpondere cùm Jobio, quia caro quidem eſt ἄλογος, εἰς ἀλογίαν καταπεσοῦσα, Chriſtus autem eſt λόγος, meritò Photius ait: τούτου τοῦ ἀπορήματος λύσις αὐτῷ νομίζεται, *quæſtionis huius hanc ſolutionem eſſe putat*, quod certè de iis dici ſolet, C quæ ſubtiliùs quàm ſolidiùs dicuntur. Euthymium verò cum fateatur Maldonatus habere nonnulla Pelagianam hæreſim ſapientia, quid Caſaubono ſuccenſes Euthymium ita reprehendenti, ut tamen quærat tecum rationem eius excuſandi? De Clemente, Juſtino reſpondemus Eudæmon-Johanni lib. 1. c.1.

Caput II.

D Joſephum non repugnare Lucæ c. 2, 1.

TAb II. Omnes calumniæ leges adeſſe jubes, tuque tuarumque næniarum ſedulus recitator Eudæmon-Johannes l. 2. c. 5. p. 143. quaſi Caſaubonum inſignitæ calumniæ manifeſtum habeas. Baronius dixerat apparatus art. 80. *Mirati ſumus vehementer, Euſebium hiſt. l. 1. c. 5. ad confirmandam Evangelicam veritatem de cenſu actu ſub Quirino, citaſſe Ioſephum, quem in his, quæ ad tempus ſpectant, contradicere certum eſt.*

est. Usq; adeò, ut illius assertioni historiam à Lucâ conscriptam in dubium revocari sit necesse.

Hæc Baronii verba cùm optima fide descripserit Casaubonus exercit. 1. §. 28. calumniator dici non potest. An autem horum verborum minus benignus interpres fuerit Casaubonus, lectoris esto judicium. In eo certè Baronius Eudæmon-Johannes & tu fallimini, quod affirmatis Eusebium hallucinari, ejiciendum omnino Josephum, ut Lucæ disertè contradicentem, cùm contra Josephus facem accendat his Lucæ verbis c. 2. v. 2. Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Josephus, inquam, docet, hæc verba sic intelligenda: *Hæc descriptio fuit earum prima, quæ Quirino Syriam regente facta sunt.* Plures videlicet descriptiones sub Quirino factæ sunt, nempe tres, si totum ac continuum decennium Syriæ præfuit. Sub prima natus est Christus anno V. C. 752. Secundæ Cuto & Saturnino Coss. V. C. 757. meminit Tertullianus adversus Marcion. l. 4. c. 29. *Sed & census constat actos sub Augusto tunc in Iudæam per Sentium Saturninum, apud quos genus eius requirere potuissent.* q. d. Ut demus anno 732. Christi nomen, ut fortè nondum nati cùm actuarii Bethlehemum venerunt non inscriptum tabulis censualibus, censu certè proximè sequente comperietis, & nomen & genus eius inscriptum tabulis publicis. Tertiam memorat Josephus anno 762. post Archelaũ in Galliam relegatum. Indidem discimus quinquennalem fuisse descriptionem, cuius meminit Lucas, eoque nihil mirum, si speciatim eius Ethnicus nullus meminerit.

Jam Baronius apparatus §. 81. *Mirum,* inquit, *in modum obstupuimus ad Novatorum vesaniam, dum Iosepho Iudæo plus tribuunt, quàm Evangelio à Luca conscripto.* Tu fateris Bezam designari.

Sed multiplex hîc latet fraus. 1. quod numero multitudinis utitur Baronius, cùm unum tantum habeat, quem designet. 2. quod cùm errorem ipse suum emendarit Beza, Baronius ita scribit, ac si Beza perstet in errore. 3. cùm Baronius A. D. 58 §. 144. censet 2. Timoth. 4, 20. legendum ἐν μελίτῃ, pro ἐν μιλήτῳ, num patienter ferres, si quis hinc colligeret à Baronio Paulum in falsi suspicionem adduci? Cur igitur Baronius, cur tu colligis à Beza plus tribui Josepho quàm Lucæ, quod aliquando suspicatus sit, Lucæ 2, 1. 2. mendum aliquod latere? Errasse tamen Bezam ultro fatemur: quod erravit, humanum est: quod errorem agnovit & emendavit, id Christianum est.

Caput III.

STATUÆ PANEADIS.

Tab. III. Casaubonum reprehendis quod dicat Exercit. 13. §. 38. quosdam abuti historiâ, quam refert Eusebius l. 7. c. 14. de duabus statuis æneis, quarum altera dicebatur esse Christi, altera fœminæ cuiusdam, quam ab hæmorrhoide liberaverat Deus. Hîc tu: *Quisnam*, inquis, *abutitur illa historia?* Nicena II. Synodus, Hadrianus I. Baronius, tu. *Habes*, inquis, *fœminam coram statuâ supplicem. Cur & cuivis Christiano non liceat coram Christi imagine genu flectere?* At Deus de quavis rei cujusvis imagine, sculptilive, Exod. 20, 5. Deut. 5, 9. dixit: *Non incurvabis te coram eis, neq; servies eis*, vel, ut habet vetus interpres, *non adorabis ea, neq; coles.* Cultum igitur vetat, non minus quàm adorationem. Quod autem instar principii assumis, hanc fuisse Christi statuam, id Eusebius non affirmat, sed tantum ait: ἔλεγον, *dicebant.* Quasi verò non potuerit falsus esse rumor iste. Ne id quidem constat, an à Christianis factæ sint hæ statuæ, vel quàm bene divinis præceptis imbuti fuerint ii, qui statuas illas erigendas curarunt. Eusebius ait factum id ἀπαραλλάκτως ἐθνικῇ συνηθείᾳ. Tu vertis ad *gentilis consuetudines quam proximè accedentes.* Verborum emphasis significat potiùs *consuetudine*

prorsus

prorſus ethnicâ, nec *majores ſuos* eos vocat
Euſebius, ut tu vertis, ſed παλαιὲς, *veteres*.
Igitur, ut demus hanc ſtatuam fuiſſe Chri-
ſti, quiſquis eam erexit, id didicit ab Eth-
nica Satanæ Synagogâ, non ab Eccleſiâ
Dei. Nec ſi mihi licet pingere, quo geſtu
procubuerit aliquis coram vivente Chri-
ſto, continuò licebit etiam homini vivo
procumbere coram imagine mortua.
Herbam autem illam ἀλεξιφάρμακον, pa-
naceam neque ſe vidiſſe dicit Euſebius,
nedum quenquam ab ea ſanatum, neq;
dicit ſe vidiſſe quenquam, qui teſtatus ſit
id ἐξαυτοψίας ſibi compertum. Tu ex po-
pularis famæ rumoribus argumenta ſu-
mes adverſus diſerta Dei mandata? Scivit
verò Caſaubonus Joh. Damaſcenum per-
vicaciſſimum idololatriæ patronum fuiſ-
ſe, eoque Baronio gratiſſimum, ſed cùm
ad eius propugnationem Malalæ, cujuſ-
dam narratiunculas adhibuiſſet, laudat
Caſaubonus Baronium, quod ingenuè
fateatur has narrationes ſcatere menda-
ciis. *Non Damaſcenum*, inquis, *ferit Baronii
cenſura, ſed Malalam*. Imò ferit & Dama-
ſcenum & Malalam, cum Malalæ men-
daciis ad ſuæ ſententiæ propugnationem
abutatur Damaſcenus. Interim quæ plus
ſatis verboſè declamas, eadem reparabi-
lis aſſonat Echo, tuus, inquam, Eudæmon-
Johannes l. 2. c. 4. p. 139.

Caput IV.

Fontes Acidi.

TAb. IV. Caſaubonum culpas, quaſi
nec Epiphanium, nec Baronium, nec
Plinium de quibusdam fontibus a-
gentes intellexerit. Obſervatu præcipuè
digna ſunt ea, quæ ſcripſit Epiphanius,
cuius tum Græca, tum Latina verba re-
fers. *Circa ipſam*, inquit, *undecimam* diem
menſis Tybi, hoc eſt, Januarii ſextam *poſt
annos triginta, factum eſt primum ſignum in
Cana Galilææ, quando aqua facta eſt vinum.*
A *Quapropter etiam in multis locis uſq; in hunc
diem hoc fit, quod tunc factum eſt, divinum ſi-
gnum in teſtimonium incredulis, veluti teſtan-
tur in multis locis fontes & fluvii in vinum
converſi.*

Hinc colligere poſſumus, quàm vete-
ribus fuerit perſuaſum Januarii ſexto fa-
ctam hanc aquæ converſionem in vinum
à Chriſto. *Cibyres quidem urbis Cariæ fons,
quâ horâ hauſerunt miniſtri, & ipſe dixit: Date
architriclino. Teſtatur & in Geraſâ Arabiæ fons*
B *ſimiliter. Nos bibimus è Cibyres fonte, fratres
verò noſtri de eo, qui eſt in Geraſâ, in Mar-
tyrum templo. Sed & multi in Ægypto de
Nilo hoc teſtantur. Quare in undecimâ Ty-
bi apud Aegyptios, omnes hauriunt aquam &
reponunt, tum in ipſa Aegypto, tum in multis
regionibus.* Hîc Caſaubonus. *Non dubita-
mus virum ſanctiſsimum ea retuliſſe in literas,
quæ ſibi certa fide eſſent comperta. At hunc*,
inquis Caſaubono *alibi aſſeris levibus audi-
tiunculis neſcio unde acceptis facile nimis ali-*
C *quando fidem habuiſſe. Et nunc unde certa Epi-
phanio fides aſſeritur eâ in re, cuius nullus vete-
rum meminit?* Nempe nec hîc, nec alibi
mendacii Epiphanium inſimulat Caſau-
bonus, ſed credulitatis. Credulitatis vi-
tium in optimos & ſanctiſſimos viros ali-
quando cadit. Epiphanium hoc vitio
nonnunquam laboraſſe, vel hinc colligas,
quod variis locis varia laudat acta, quæ
Pilati dicebantur. Neutra vocat in falſi
ſuſpicionem, & tamen utraque vera non
D poſſunt eſſe, utraque falſa eſſe poſſunt, &
ſi quid ſentio, utraque ſunt falſi manife-
ſta. Sed nunc id non agimus. Hîc quod
ait: *Nos bibimus è cibyres fonte* quidni cre-
dam? Bibit, inquam, vinum, quod dice-
batur Tybi ſexto è Cibyres fonte hau-
ſtum. Sed ſeipſum hauſiſſe non dicit.
Fratres, inquit, *noſtri biberunt de alio fonte.*
Biberunt & illi vinum, quod eâdem die
dicebatur hauſtum à fonte. Seipſos hau-
ſiſſe nō dixerunt. Nec quenquam refert E-
piphanius, qui ſedulò caviſſe ſe teſtatus ſit,
ne ſibi fraus hac in re fieret. *Omnes*, inquit,
hau-

hauriunt aquam & reponunt, tum in ipsa Æ- A gypto, tum in multis regionibus. In memoriam videlicet miraculi, quod ea die factum credebant, & meâ quidem sententiâ meritò credebant, multis in locis eâdem die hauriebatur, & ad aliquos dies asservabatur aqua, & forte nonnunquam mutationem, quam refert Epiphanius, experti sunt ii, qui mutationis illius memoriam celebrabant. Sed omnes expertos Epiphanius non dicit, immò, ne semel quidem id se quisquam ita te- B statur expertum, ut fraudis piæ suspicioni nullus superesset locus. Quod si tot provinciæ quotannis id ἐξαυτοψίας essent expertæ, num id solus Epiphanius retulisset? Potuissent ne tantum miraculum, tam conspicuum, tam ordinarium tot Ecclesiastici scriptores sine grandi sacrilegio contumaci silentio supprimere? Omnino reliquorum scriptorum ea de re silentium justam dat suspicandi caussam vel fraudem, tum Epiphanio, tum iis, C quos laudat fratribus, factam, vel hoc miraculum aliquando quidem contigisse, sed non quotannis, ut putavit Epiphanius, in quo non secus ac in aliis aliquot narrationibus potuit famæ plusculum, quàm oportuit, dare.

Quod autem persuadere conaris, nec Baronium, nec Plinium de quibusdam fontibus loquentes à Casaubono intellectos, id quàm verè contendas, viderint medici, viderint Critici.

Caput V.

Hieronymus ad Damasum.

TAb. V. Casaubonum vexas, quasi perperam exercit. XVI. cap. 136. acceperit verba Hieronymi scribentis ad Damasum, qui locus sanè consideratione dignus est. Sed huic, ni fallor, satis fecimus libro de Sedis Rom. sanctitate cap. 5. & lib. de Sedis Rom. potestate cap. ult. vel potiùs utroque libro toto. Quia tamen huic loco plurimùm fidis. *Quoniam,* inquit Hieronymus lib. 1. ep. 12. *Vetusto oriens inter se populorum furore collisus in discissam Domini tunicam & desuper textam minutatim per frusta discerpit.* Nempe populorum furor eorum etiam, qui dicuntur ecclesia, sæpe furorem trahit, & ecclesiam discerpit. Divisionibus tum laborabat Oriens, laborabat etiam Occidens. Nam & Mediolanensem Ecclesiam Ambrosius Orthodoxus Auxentius Arianus regebant, & Romam discerpebant Damasus & Ursicinus. *& Christi vineam exterminant Vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficilè ubi fons signatus & hortus ille conclusus sit, possit intelligi.* Si jam id erat difficile circa A. D. 375. quanto difficiliùs nono seculo & sequentibus in tanta vulpium, leonum & lacuum contritorum copia? maximè cùm his malis nusquam exitialiùs laboraretur, quàm Romæ, circa Romam, sub Romæ jugo? *Ideò mihi cathedram Petri & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam.* Quoties orthodoxæ doctrinæ favebat Roma, toties hujusmodi titulos illi lubenter deferebant Patres, ubi secus agebat, revocabant in memoriam eandem à Johanne Babylonem dici, quod imprimis facit Hieronymus circa A. D. 390. *inde nunc animæ meæ postulans cibum, unde olim Christi* D *vestimenta suscepi.*

Quia numero multitudinis utitur Hieronymus, ideò Casaubonus credidit designari, tum baptismum, tum presbyteratum: tu vis Hieronymum eo tempore nondum Presbyterum fuisse. Huius Chronologicæ minutiæ discussione jam nihil est opus. Baptizatus certè Romæ fuerat Hieronymus, & hanc ob causam Romam potiùs, quàm aliam sedem consulebat. *Vbicunque fuerit corpus, illic congregantur aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta servatur haere-*

ditas. At enim Alexandriæ Petrus non minus orthodoxus erat, quàm Romæ Damasus. Sed ὀρθοδοξία Damasi quàm Petri notior erat Hieronymo. Utut sit, *Corpus illud*, quod ab aquilis quæri dicit, est ὀρθοδοξία, idem intelligit per cathedram Petri, cùm ait: *Ego nullum primum*, quanto magis nullum totius Ecclesiæ Dominum, *nisi Christum sequens, beatitudini tuæ*, hoc est, tibi, ô Damase, quem Orthodoxum credo, *id est, cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram* rectam de Christo fidem *ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Hæc ad ὀρθοδοξίαν à Casaubono rectè referri vel hinc patet. Euphrati proximus erat Hieronymus, & tamen Ecclesias trans Euphratem sitas nullas noverat. Quanto minus has noverat Damasus, illæ Damasum? Num ideò flammis æternis illas addicere fuit mens Hieronymi? Quin potiùs, modo verâ fide Christum amplecterentur, tam intra Dei domum & arcam Noæ sitas illas credidit, quàm Damasum ipsum aut clerum Romanum, in cuius moribus, ignorantia, veritatis odio jam elogia Babylonis agnoscit Hieronymus in præfatione libri quem Didymus scripsit de S.S.

Caput VI.

SIGNUM CRUCIS, GADARA.

TAb. VI. reprehendis Casaubonum quod exercit. 13. §.33. dicat mulierem, de qua loquitur Epiphanius hær. 30. liberatam virtute Dei, virtute Christi, non virtute transvolantis cujusdam actionis, quæ vocari solet signum crucis, liberatam, inquam, ut sciamus quænam sit Dei, quænam Christi, non quænam huius transvolantis digitorum agitationis virtus, ipsius Epiphanii men-

A tem hanc esse, cùm dicat liberatam ἵνα δείξῃ ὁ Θεὸς τὰ αὐτοῦ θαυμάσια. Tu contra pertendis huius digitorum agitationis, vel, ut tu loqui mavis; huius crucis signi fuisse virtutem hanc, hanc Epiphanii mentem esse, cùm dicat: διὰ σφραγῖδος *per signaculum Christi & fidem fœminam auxilium percepisse.* Item: *Non valuit incarnationis vis, ubi erat nomen Christi, & signaculum crucis.* Hîc quid sentiamus, animo sedato percipe. Cùm dicitur incantatio nihil

B posse, ubi est nomen Dei, vis incantationis depellendæ non tribuitur Syllabis & apicibus hoc vel illud Dei nomen constituentibus. Sic cùm Epiphanius, aut quis huius notæ Pater signo crucis aliquod effectum tribuit, charitatis lex nos jubet credere mentem illorum fuisse convenientem analogiæ fidei, ac consequenter illos per signum, signaculumve crucis intellexisse metonymicè Christum ipsum, non digitorum aërem transverberan-

C tium decussationem.

Quod Casauboni correctionem laudas, dicentis apud Epiphanium hæres.30. legendum κατὰ συγκυρίαν, id ingenuum est: quod ἐλευθέραν mavis *nobilem* interpretari quàm *liberam*, mihi videtur valde probabile. Quod dicis Gadara fuisse monti superstructa, thermas Gadarenas ad radicem montis, & consequenter extra civitatem, non est necesse. Potuit enim urbs ambitu suo tam radices montis

D complecti quàm verticem.

Baronius autem A.D. 31. §. 68. cùm ait: *Meminit & Strabo de aquis Gadarenis*, &c. cùm non dicat *de aliis aquis*, si non necessariò, certè valde probabiliter credidit Casaubonus Baronium aquas, quarum meminit Strabo, confundere cùm aquis calidis quarum meminit Epiphanius. Sed hæc levicula sunt.

Caput

Caput VII.

Liber de Nativitate Virginis.

TAbula VII. *Non fuit*, inquis, *necesse Baronio Erasmum citare de partu supposititio, qui tribuitur Hieronymo.* Non fuit certè, sed nec fuisse dicit Casaubonus exercit. 1. §. 15. Sed cùm librum illum de Mariæ nativitate nunc quoque Christophorus à Castro contendat perperam à nobis respui, perperam à Sixto Senensi, perperam á Melchiore Cano νοθείας insimulari, meritò Casaubonus optasset etiam Erasmi testimonio falsi damnari scriptum illud adulterinum, ut, qui velit, etiam Erasmum consulat, ac illius rationes expendat. Quod Castri Jesuitæ castra non lubens deseris, quod eius sententiam, quâ potes, propugnas, nihil mirum. Sufficit, quod ne tu quidem negare audes PseudoHieronymum hunc explosione dignum.

Caput VIII.

Capharnaum.

TAb. VIII. multa disquiris de quibus litigare nihil est necesse. Quæstionum huius capitis ultima paulo acrior est, quàm ut prorsus silentio transmittatur. Dixerat Casaubonus exercit. 13. §. 37. *Male accepit* Baronius, *ut equidem puto, mentem Iosephi, si putavit proprium ipsi fonti, cuius Iosephus meminit, nomen fuisse Capharnaum. Ipsum enim nomen indicat ad illum fontem pagum fuisse ædificatum, cui illa appellatio propriè conveniret. Caphar enim villam significat aut pagum. Capharnaum est pagus à Nahum sic dictus.* Hîc tu.

Quod pagum hîc eo nomine fuisse fingis, sine teste fingis. Hæsisses potius Hieronymi interpretationi, qui Capharnaum interpretatur villam,

A *seu agrum pulcherrimum, qui tanto in Hebraicis literis fuit doctior, ut felix fueris, si discipulus eius esse possis.* At & Hieronymi discipulus fuit Casaubonus, & aliorum multorum qui nihilo fuerunt indoctiores quàm Hieronymi præceptor, quisquis ille fuerit. Sed comparationibus hîc nihil est opus. Illud affirmo neque vocem *Caphar* significare agrum, sed villam, nec *Naum* significare pulchrum. Pulcher vel amœnus Hebræis est נעם *Naim. Naum* autem

B נחום est nomen proprium viri, à consolatione sic dicti. Quamobrem Matth. 4, 13. 8, 5, Marc. 2, 1. & alibi Syrus & Arabs vocem hanc scribunt per *Chet*, non per *Aïn.*

Caput IX.

Momentum Conceptionis Christi.

TAb. IX. Cùm & Casaubonus Baronii, & tu Casauboni sententiam

C probes, cùm, inquam, omnes in eo consentiatis B. Virginem post hæc demum verba: *fiat mihi secundum verbum Domini*, cœpisse concipere, mirum, cur tam iniquè feras, quod Casaubonus exercit. 1. §. 27. antiquitatis illustrandæ studio paulò fusiùs quàm Baronius apparatus art. 76. hoc argumentum pertractârit, & diversa sentientes refutarit, maximè cùm tua super hac quæstione diatriba sit Casauboniana

D multò prolixior.

Caput X.

An Petrus fuerit Fidei Conditor.

TAbulâ X. quò deteriorem caussam propugnas, eò plus affers acerbitatis. Dixerat Baronius. *Petrus Matth. 16, 16. Causam definit, decernit, fidei canonem constituit: quid de fide sentiendum esset, solus Petrus clavum fixit.* Casaubonus exercit. 15.

§. 12. *Quis veterum Patrum ita locutus est?* A Hîc tu laudas Hilarium in Matth. c. 14. dicentem: *Ignorantibus cæteris primus respondit*: & Seleuciensem Basilium orat. 25. reliquos Apostolos ignorantiæ accusantem, & Euthymium in Matth. 16. dicentem: *Solus Petrus verè Christum & natura & proprium filium Dei hunc esse intellexit.* Atqui licet hactenus hoc mysterium non intellexissent reliqui, tamen respondebat Petrus, ut discipulus Magistro, non ut Legislator subditis, ut fidei rationem reddens, non ut *fidei canonem constituens.* Sed & falsum est antecedens tuum, & falsi disertè damnatur ab ipso Petro, dicente: duodecim circiter ante petitionem illam mensibus, non ego solus scio, scisco, sed Nos *credidimus & cognovimus te esse Christum illum Filium Dei viventis.* Joh. 6, 69. quin & biennio circiter ante Natanael dixerat, Joh. 1, 50. *Rabbi, tu es ille Filius Dei, tu es ille Rex Israelis.* Nec te juvat, quod multi Patres vocarunt Petrum fundamentum Ecclesiæ. Sed videndum, an aliquis eorum dixerit, an verè dici possit Petrum solum esse fundamentum Ecclesiæ, cùm Ephes. 2. Apocalyps. 20. omnes Apostoli vocentur fundamentum Ecclesiæ. Sed enim, *fidei conditorem*, inquis, *solum Petrum dicimus, auctorem vero Deum solum.* At utrumque soli Deo convenit, neutrum soli Petro tribui potest, & utut urgeret te Casaubonus, tamen neminem reperire potuisti veterem, qui D Baronianam blasphemiam usurparit. Omnino, qui solus est conditor, idem solus est auctor fidei. Patres in Synodis dicuntur πίστιν ἐκτιθέναι, fidei symbolum, non canonem condere, nedum dicant se *solos fidei canonem constituere.* Quin & Athanasius Synodi Sirmiensis patres exagitat plurimùm quod dicant: ἐξετέθη ἡ πίστις. Quid dicturus, si sibi vindicassent, quod tu Petro tribuis?

Caput XI.

Octo Libros, qui Sibyllini dicuntur, Pseudepigraphos esse.

Tabulâ XI. Casaubonum acriter incusas quod exercit. 1. §. 10. dicat: *Ubi de fide & doctrinâ cœlitus revelatâ agitur, nunquam humanis testimoniis Apostolus utitur.* Hîc B tu. *Ain' sobriè an seriò? Quid? Non doctrina cœlitus revelata Deum complere omnia, in eo nos esse, in eo movere, in eo vivere? ad quod tamen inculcandum Poëtæ Arati testimonio utitur Paulus Act. 17.*

Revelatam cœlitus eam doctrinam κατ' ἐξοχὴν vocat Casaubonus Evangelium. Nam Deum unum esse, creatorem universi, colendum à nobis, &c. Paulus Rom. 1. & 2. refert ad τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod Gentibus omnibus manifestum C fecit, quod omnium cordibus insculpsit Deus, ut non mirum sit, si probet Paulus ex Gentium Doctoribus hoc τοῦ Θεοῦ γνωστὸν, non fuisse Gentibus prorsus incognitum. Doctrinam autem Evangelicam quis mortalium divinasset, nisi Deus eam cœlitus revelasset? Huius confirmationem cùm ex Sibylla petitam à Paulo legisset alicubi Clemens, meritò Casaubonus in falsi suspicionem vocat librum, unde Clemens id hauserat, non minus, quam libros qui Sibyllis, Mercurio Trismegisto, Hydaspi, vel Hystaspi tribuuntur. Ne tu quidem duorum posteriorum fidem ausus es asserere. Bulengerus agnoscit eum, qui Mercurio tribuitur, librum esse ψευδεπίγραφον. Supersunt Sibyllæ, quibus an aliquid sit affictum, nec ne, non profiteris, sed hoc ipso quod temerariam videri vis Casauboni suspicionem, satis innuis, non tantum fuisse Sibyllas aliquid vaticinatas, etiam de Christo, (nihil horum negavit Casaubonus) sed iis verè tribui, quæ tum olim eorum nomi-

nomine citata sunt à Patribus, tum hodie circumferuntur libris octo comprehensa cum acrostichibus quibusdam, quæ omnia versibus Latinis à Castalione donata sunt. Hic verus est quæstionis status.

Igitur, quidquid in genere de Sibyllis pertendas, apertè cum Casaubono profiteor, mihi videri Græcos illos octo libros, qui dicuntur carminum Sibyllinorum esse opus hominis otio suo abutentis. Quin & addo mihi videri opus hoc aliquanto post L. Veri vel M. Aurelii Imperatoris obitum confictum circa A. D. CLXXIII. vel CLXXX. Paucis igitur docendum, primùm cur spurium: secundò cur hoc tempore natum credam: Tertiò, quis videatur eius operis esse parens. Inducit is loquentem Noæ nurum, & tamen non modò Græcè scribit, sed & Hebraicæ linguæ ignatum se prodit.

1. Adami, inquit, nomen est τετράγραμματον, designatque quatuor cœli plagas Ἀντολίην, δύσιν τε μεσημβρίαν τε καὶ ἄρκτον. Atqui Hebræis Adam est τριγράμματον.

2. Ab Adamo deducit vocem ἅδης, Ἅδην αὖτε κάλεσσαν ἐπεὶ πρῶτος μόλεν Ἀδάμ. Atqui Abel ante Adamum mortuus est. Forsan & Cain.

3. Dei nomen constare ait quatuor syllabis, literis novem, quæ simul conficiunt numerum 1697. Ut id veri speciem habeat, barbarè scribendum est Dei nomen Ιεχουα ιαχ, JEHOVA JAH. Argutiùs ille, qui dixit Dei nomen constare septem vocalibus.

Ἑπτά με φωνήεντα Θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ
Γράμματα τὸν πάντων ἀκάματον πατέρα.

Hesychius hoc epigramma alludens: Ἑπταγράμματον, inquit, τὸν ὀργίλον, σκληρὸν, ἢ Σαοφάτης. At horum vocabulorum unum [quodque septem] quidem [literis constat, Nullum septem vocalibus, quod nulli nisi] Dei nomini convenire potest Ιεωυα ια.

A 4. Quia videbat Deum passim vocari *Deum Sabaoth*, putavit *Sabaoth* esse nomen Dei.

Ὄλβιοι ἀνέρες οἷς Σαβαὼθ νόον
ἐσθλὸν ἔδωκε. Et. Καὶ καθίσει
Σαβαὼθ Ἀδωναῖος ὑψικέρατος.

Ratio metri postularet, ut legeretur περψικέρατος. Sed in his versibus passim ratio metri negligitur.

Hæc paucula sufficiunt ad confirmandum, quàm Hebraicè linguæ imperitus
B fuerit horum librorum autor. Eandem fere insaniam insaniverunt Ascodrutæ, qui dicebant Sabaoth esse Judæorum Deum, diaboli patrem apud Theodoretum de hæresibus lib. 1. fol. 89. In rebus ipsis non minor est huius ὑποβολέως ignorantia.

1. Noam ait ἡμέρας δὶς εἴκοσι καὶ μίαν in arca mansisse. 1. dies 41. cùm manserit menses amplius tredecim.

2. Illud quale est? Deus in ultimo
C judicio perdet omnes Hebræos τοὺς μετ' ἠρεμίαν.

3. Rancidas Poetarum de Saturno, Rhea, Jove, Junone, Titanibus fabulas ita narrat, ac si verissimæ sint historiæ.

4. Ubi de Augusto agit, male Alexandriam designat Memphis nomine.

5. Tiberium perperam ait aggressum Babylonios, Persas, & Medos, qui, ex quo imperium adeptus est, fuit cæsarius. Sed ne vivente quidem Augusto populis
D illis bellum intulit, immò nec Augustus, nec Tiberius, ipsi, vel per legatos quidquam tale moliti sunt.

6. Iniquè Hadrianum vocat πανάριστον Antoninum Pium οἰκτρότατον, cùm ille vitiosissimus fuerit, hic illo tam felicis quàm pii nomine dignior. Ne illud quidem verum est quod de Hadriano ait λίνος αὐτὸν ὀλεῖται.

7. Perspicuum est eum millenarium fuisse, qui error à Papiâ proseminatus tum obtinebat.

8. Habet aliqua de Angelorum no-

minibus, *Vriel, Romiel, Samiel, Azael* (sic enim legendum videtur) quæ hausit ex lacunis Judæorum, quibus plurimum favet.

Tempus, quo prodiit in lucem hoc scriptum, hinc colliges, quod neque probari possit hoc scriptum Hadriano vetustiùs esse, & Tertullianus, qui vix dum natus erat, cùm L. Verus obiit, huius scripti quædam verba laudet in Pallio, cùm alludens hæc verba:

— καὶ Σάμος ἄμμος ἔσῃ καὶ Δῆλος ἄδηλος
καὶ Ῥώμη ῥύμη sic ait: *Inter insulas nulla jam Delos, harena Samos, ut Sibylla non mendax.* Sic enim legendum, hoc est, UT, non autem ET, ut solertissimè notavit Jos. Scaliger ad Casaubonum scribens operum Posthumorum p. 476.

Sed & ipsius autoris verbis tempus, quo vixit hic ὑποβολιμαῖος, non eo tantum modo colligi licet, quo modo ex Æneidos sexto non malè conjicies Virgilium sub Augusto floruisse, quia prophetias suas non ultra Augustum porrigit. Sed quia hactenus, si non peritissimum, saltem non prorsus ignarum historicum egit, deinceps, ubi prophetam agere incipit, falsi manifestus fit. Augustinus de civitate Dei lib. XX. cap. XIX. *Nonnulli,* inquit, *Neronem resurrecturum & futurum Antichristum suspicantur. Alii verò nec eum occisum putant, sed subtractum potiùs cùm putaretur occisus, & vivum occultari in vigore eius ætatis, in qua fuit, cùm crederetur extinctus, donec suo tempore reveletur & restituatur in regnum. Sed multum mihi mira est hæc opinantium tanta præsumptio.* Hoc sibi persuaserat horum carminum autor, & id passim ὑπαινικτικῶς innuit, ut initio libri V. Πεντήκοντ᾽ ὅστις κε ἔλῃ λάχε, κοίρανος ἔσται. Δεινὸς ὄφις &c. Ἀλλ᾽ ἔσται καὶ ἄϊστος ὀλοίιος, ἀλλ᾽ ἀνακάμψει Ἰσάζων θεῷ αὐτόν. Fiet, inquit, ἀφανὴς, & cum paucis evadet, sed redibit æquaturus se Deo, quod proprium est Antichristi. Et mox.

A Φεύξεται ἐκ Βαβυλῶνος ἄναξ φοβερὸς
καὶ ἀναιδής. i. e. Nero Româ fugiet.
Ὃν πάντες στυγέουσι βροτοὶ καὶ πάντες ἄριστοι
Ὤλεσε γὰρ πολλοὺς καὶ γαστέρι χεῖρας ἔθηκε. i. e. occisæ matris uterum contrectavit.
Εἰς ἀλόχους ἥμαρτε. In Octaviam & Poppæam.
Ἥξει δ᾽ εἰς Μήδων καὶ Περσῶν πρὸς βασιλῆας, Latitabit in Perside.
Φωλεύων μετὰ τὸν δὲ κακῶν εἰς ἔθνος ἄνδρες
Εἰς ναὸν θεότευκτον ἔλει, καὶ ἔφλεξε πολίτας.

B Tum Vespasianus *cum improbis istis* Romanis *injucundæ genti insidians Dei templum capiet, & cives* Judæos *incendet.*

Ἀλλ᾽ ὁπόταν ἐκ τετάρτου ἔτεος λάμψῃ μέγας ἀστήρ.
Quartâ post generatione veluti redivivus & ὑστερόποτμος Nero Romanis talionem rependet. Sed & redivivus Josue Judæos postliminii jure restituet, & beabit. Si credimus PseudoSibyllæ. Rursus ad Neronem reversus.

ἥξει δ᾽ ἐκ περάτων γαίης μητροκτόνος ἀνήρ,
C &c. *Redibit,* inquit, *ab ultimo Oriente matricida, omnia perdet, populabitur.* Cœlum ipsum commovebitur. Sed tandem bellis finis imponetur κοὐκ ἔτι τις ξίφεσιν πολεμίζεται, ἠδὲ σιδήρῳ. Alludens Esaiæ verba cap. 2. Itaque cùm ait Romæ Vestæ templum arsurum, Synecdochicè totam Urbem conflagraturam innuit, quemadmodum libro octavo: Ποῦ τότε Παλλάδιον; ποῖός σε θεὸς διασώσει; Iterum prædicit Hierosolymorum instaurationem allu-
D dens Apoc. 21. & 22. Sequuntur παρεκβάσεις in his libris frequentes.

Libro octavo redit ad excidium, quod Urbi Romæ interminatur. Tempus eius sic circumscribit: Cùm Romæ quindecim reges imperaverint, adnumerato scilicet Pisone, quem Galba Cæsarem dixit: Ἔσσετ᾽ ἄναξ πολιόκρανος quadragenario major ἔχων πέλας οὔνομα Πόντου. Hadrianus. Τὸν μετὰ τρεῖς ἄρξουσι πανύστατον ἦμαρ ἔχοντες. Antoninus scilicet Pius, L. Verus, & Marcus Aurelius. ut lib. V.

καὶ ἔπι

καὶ ἐπὶ σοῖσι κλάδοισι τάδ' ἔσσεται ἤματα πάντα, hoc est, sub liberis tuis veniet novissimum tempus, ô Hadriane, τρεῖς ἄρξουσιν, ὁ δὲ πάντων τρίτος ὀψὲ κρατήσει. Aurelius primò cum Pio, deinde cum L. Vero, tandem solus rerum potietur. Et lib. VIII. οὔνομα πληρώσαντες ἐπουρανίοιο θεοῖο. Nomen illorum ab eâ literâ incipiet, à qua & nomen Dei sive Adonai, hoc est, Antonini vocabuntur.

Εἷς μὲν Pius πρέσβυς ἐὼν quinquagenario major σκήπτρων ἐπὶ πουλὺ κρατήσει imperabit fere annos XXIII.

Οἰκτρότατος βασιλεύς, ὃς χρήματα κόσμου ἅπαντα.

Δώμασιν ἐγκλείσει τηρῶν, unde & κυμινοπρίστης à quibusdam dicebatur & sordidus ἵν' ὅταν γ' ἐπανέλθῃ.

Ἐκ περάτων γαίης è Perside ὁ φυγὰς μητροκτόνος Nero ἐλθών.

Ταῦθ' ἅπασι δώσεις πλοῦτον μέγαν Ἀσίδι θήσει: lege Ταῦθ' ὁ παῖς δώσεις πλοῦτον μέγαν Ἀσίδι θήσει,

O Miser, inquit, thesauros congregas, quos filius Neroni reduci dare cogetur. Tempus quo rediturum Neronem, & perituram Romam putabat, colligit ex nomine ῥώμη, cuius literæ conficiunt annos 948. Totidem annos duraturam hariolatur. Sperabat igitur hæc intra viginti quatuor à L. Veri obitu annos eventura. Ex his tempus, quo scripsit autor hic, perspicuè colligitur. Quod si divinare libet, huius operis autor videtur non absurdè dici posse Montanus, vel duarum eius Prophetissarum altera: Montanus, cum sub Antonini Pii finem innotescere cœperit, facile potuit ad hæc usque tempora vivere. Caussæ, cur id conjiciam, hæ sunt.

1. Quia Montanus prophetam mentiebatur.

2. Quia Montanus erat Phryx. Hic autem Phrygiam plurimùm laudat, & primam ab aquis diluvii emersisse fabulatur, quia apud Herodotum legerat, A Phrygas cum Ægyptiis de antiquitate certasse.

3. Quod nomen Dei circumloquitur numero 1697. Nomen Ἰησοῦς numero 888. Nomen Ῥώμη numero 948. Impetatorum Romanorum nomina à numeris literarum initialium, hanc, inquam, ὑποαινικτικῶς loquendi rationem didicit ab æquali & vicino suo Alexandro Cappadoce, qui & ipse quatuor primas sui nominis literas dixerat efficere. B 1. 30, 5. 60. atq; hinc confici numerum τετράκυκλον. id est, cubicum, cuius radix, hoc est, senarius circuli perfectionem adumbrat, ut legere est apud Lucianum.

Caput XII.

Eadgari Potestas in Clerum.

C Tabulâ XII. Casaubono succenses quod magnæ Britanniæ Regem alloquens dicat Eadgarum Anglorum Regem A. D. 959. ita locutum: *Meæ sollicitudinis est Ecclesiarum ministris, gregibus Monachorum, Choris Virginum & necessaria procurare, & paci eorum & quieti consulere, de quorum omnium moribus spectat ad nos examen,* & quia Personius Jesuita pro Nos scripserat Vos, insignis aliquis vir Robertus Cotton indicavit Casaubono memD branas antiquas complures ex quorum fide constabat legendum Nos, non autem Vos. Tu quid contra mutire potes, quum membranas illas non videris? Certè series orationis observationem Casauboni confirmat. Itaque quos quæris an fractus, ii sunt ἀπροσδιόνυσοι. Nam quod Jacobum Serenissimum magnæ Britanniæ Regem Eadgaro similem optas, alienum est. Cuiusque sive Regis, sive parentis imitanda sunt optima quæque. Quo miseriore seculo vixit Eadgarus, quo fuit erroribus illius addictior, eo minus

minus est suspecta veritas illa, quam laudavit Casaubonus. Tu si malis araneæ quàm api similior esse, fruere judicio tuo. Nobis certum est cujusvis seculi, cujusvis Principis præstantissima quæque Deique verbo convenientissima ad imitandum proponere, quod ut ab aliis obtineamus & assequamur ipsi, faxit Deus Opt. Max. pro sua in Christo gratia.

Tamen, ne putes solis membranis MS. inniti Casaubonum, audi Matthæum Westmonasteriensem. *Eadgarus,* inquit, *desolatas Dei ecclesias renovans ditavit, abjectis à cœnobiis clericorum secularium veneris, XL. monasteria construi præcepit, pastores* A *ipsis præposuit* A. D. 964. *novis monasteriis abbates præfecit* A. D. 967. *Monasterio Kumeseige abbatissam ordinavit* A. D. 968. *In Exonia Sidemannum vice abbatis præfecit* A.D. 970. *Episcopis per Angliam constitutis præcepit,* &c. Hæc, sed imprimis Davidis, Salomonis, Josaphati, Ezekiæ, Josiæ, Nehemiæ, Zorobabelis heroica sibi proponat optamus exempla trium provinciarum Rex potentissimus Jacobus I. ut non tantum Sedis Rom. jugum excutiat, sed imprimis, ut Christi regnum pro virili parte promoveat.

AMEN.

JAC.

IAC. CAPPELLI VINDICIARUM,

PRO

ISA. CASAUBONO

LIBER II

ADVERSUS PRIMUM LIBRUM

ANDREÆ EUDÆMONOIOHANNIS.

JACOBUS CAPPELLUS

ANDREÆ EVDÆMON-JOHANNI. S.

CAsauboni laborem longe aliter, quàm oportuit, acceperunt, qui candorem hominis non norant, imprimis tu, Andrea, *Dum locum*, inquis, *reprehensioni rimatur, Casaubonus odiosè scrutatur omnia, ita quidquid undiq; potest, in calumniam derivat, ut imminuta viri præstantißimi Baronii existimatione Ecclesiæ Christi, si quâ poßit, officiat.*

Atqui præconum Baronii nullus eius existimationi plus contulit, quam Casaubonus: Nam à suis laudari quid mirum? Ab adversæ partis homine eoque tam laudato viro laudari pulchrum est. Quàm non parcè, quàm non malignè Casaubonus Baronium laudet, sciunt qui bonæ frugis plenissimas eius exercitationes legerunt. Contra: Non soli Baronio, sed Italiæ toti parum honorificum perhibes testimonium, cum Baronium vitiosis Græcorum historicorum interpretibus fidentem excusaturus ais: *In Italia ne nunc quidem magna suppetit Græcorum librorum copia, & cùm Annalium suorum sylvam conficeret vir egregius, vix ulla usquam typis excusa reperiebantur, ut fontes ipsos consulere in promptu esset.* Atqui Baronius primum suorum Annalium tomum dicavit Sixto V. qui sedere cœpit A. D. 1585. Ab eo tempore Græ-

carum

carum literarum ſtudium & cognitio decreſcere potius quàm creſcere cœpit. Quod ſi literæ Græcæ ſub Leone X. plusquam centum ante Baronii mortem annis in Italiâ renatæ, ibidem jam emortuæ conciderant, & ad nos migraverant ſub Sixto V. non video, quam tibi neceſſe fuerit hoc tuæ nutricis probrum retegere.

Sic l. 2. cap. 2. *Cogimur*, inquis, *in Italia, Græcorum exemplarium penuria interpretum fidem plerumq; ſequi*. Sic ſodalis tuus, Alcaſar, cum in Jeſuitarum Collegiis, cum in Hiſpaniâ nuſquam vidiſſet librum *Miſnajoth*, dubitare ſe profitetur in ſuo libro de menſuris, an uſquam inveniatur. Sciat ille in meâ unius Bibliothecâ duas huius libri Venetas editiones extare, in folio quidem A. D. 1606. in octavo verò A. D. 1609. cum Scholiis Rabbinicis.

Cum tam indignè de tota ſentias Italia, quid mirum, ſi, cui ſuccenſes, eum voces *impuram beſtiolam, coquinæ ac patinis aſſuetam*. Cretenſem videlicet te neſciremus, ſi vera diceres, ſi de magnis viris modeſtè loquereris, quem non pudet affirmare *Paulum & Johannem Græcè minus eleganter, nonnunquam etiam barbarè atq; inquinatè locutos* Quid? cum Helleniſmis orationem ſuam conſpergunt Latini, veneres, lepores, orationis lumina vocant Critici μιμήσεις iſtas, Apoſtoli ſi Græcam orationem Hebraiſmis adſpergãt, *barbarè* dicẽtur *& inquinatè loqui?* Si Paulo ſuccenſes, quod dixerit: κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. Johannes quid commeruit? quid Jeremias? quid Amos? quid Moſes? quos traducis, ut *Græcæ Latinæq; eruditionis expertes, ut inurbanum quiddam ac ruſticum Hebraicè ſonantes*. O peritum harum rerum ju-

dicem, tam Hebraicæ Græcæque linguæ prudentem, ut Judæi te Græcũ putent, Græci Judæum. Nunquid etiam Platonem, Demoſthenem, Ciceronem damnaturus es, quod Cretenſes idiotiſmos ignorarint? Atqui tempore Moſis non minus rudis & omnis eruditionis expers erat tum Græcia, tum Italia, quàm nunc quoque tua Creta. Prophetarum autem eloquentiam, ſi quid Hebraicè ſcires, tantam eſſe mirareris, ut cum illis comparata barbara ſit ac infans tota Græcia, totum Latium. Quum de Prophetis & Apoſtolis ita loquaris, à te Caſaubonum impietatis aut imperitiæ damnari laudis eſt inſtar.

Caput I.

AN IMPII DICI POSSINT PER ET PROPTER CHRISTUM PERIRE.

IN paucis præfationis tuæ paginis, si tam multa sunt animadversione digna, quàm multa reperientur castigatione digna in duobus tuis libris, quos modo *castigationes*, modo *calumnias, errores, mendacia Casauboni* inscribis? Voluisti videlicet ex ipsis tuorum librorum titulis cuivis patere, quo Spiritu feraris, quàm amaro felle potiùs quam atramento schedas tuas inquinaris. Capite primo libri ptimi vis in ipso limine Casaubonum impegisse, cùm ais l. 1. c. 1. *Libenter quæsierim de Britannicis protestantibus, apud quos momento temporis Theologiam didicit, cùm in eam insulam vix Grammaticus navigasset, quid tandem sibi voluisse eum putent, cùm illud Simeonis oraculum: positus est in ruinam & resurrectionem multorum: ita interpretatus est ipso initio suæ ad Iacobum Regem epistolæ, ut propter illum & per illum alii in ruinam præcipitent, alii de morte transeant in vitam.* Huic quæstioni paucis respondebo. Casaubonus non senex demum in Anglia, sed in Gallia statim à puero didicit non tantum humanas, sed & sacras literas, quæ nos Apostolo teste *possunt* σοφίσαι εἰς σωτηρίαν *reddere sapientes ad salutem*, 2. Tim. 3. Quàm non in iis ἀμύητος esset, docuit brevibus, sed eruditis in novum Testamentum notis, quas pridem edidit. Tu vero non alios, opinor, Theologos intelligis, quam quos Scholasticos vocant. Sed ne hos quidem Casaubono prorsus ignotos constat, cùm eorum principem Thomam Aquinatem toties laudet. Ab iis didicit prædicata pro ratione subjecti intelligenda, ut igitur Evangelium aliter ad mortem, aliter ad vitam est odor, ut A Christus aliter in ruinam, aliter in resurrectionem est positus, sic aliter intelligit Casaubonus particulas illas *per & propter Christum*, cùm ait alios in ruinam præcipitasse, alios de morte transiisse ad vitam. Quod servamur, id debemus tum efficaciæ, tum merito Christi: qui Christum respuunt, hi *præcipitant in ruinam per Christum*, quatenus suo justo judicio tradit eos Satanæ, *propter Christum*, quatenus occasionem ex Evangelii prædicatione su- B munt proficiendi in pejus.

Caput II. & III.

EXPENDUNTUR LOCA QUÆDAM CHRYSOSTOMI, CLEMENTIS.

EJusdem libri capite secundo & tertio Casaubonum rursus in limine vis impegisse, quod exercitationis suæ primæ C statim initiò Baronium in quæstione juris ita laudet, ut in quæstione facti putet eum errasse. *Meritò*, inquit Baronius, *dicit Apostolus, Christus heri, & hodie ipse in sæcula, & in confesso est apud omnes Patres, quotquot unquam fuerunt ab exordio mundi, non nisi à Christo & per Christum salutem consecutos.* Quod sanctum hoc piumque lemma suis Annalibus præfixerit Baronius, laudat Casaubonus. *Sed apud veteres*, inquit, *Patres omnes semper hoc fuisse in con-* D *fesso, id verò si accipiatur simpliciter, & sine ulla exceptione, an satis certum sit, equidem vehementer addubito.* In hac dubitatione quid potissimùm reprehendis? nempe quod Christi meritum à Christi notitiâ non distinguat Casaubonus, cùm infantes non nisi merito Christi, sed sine Christi notitiâ serventur. At vide ne Casaubonus Baronium meliùs intellexerit, quàm tu. Baronius dixerat: *Ecclesiæ fundamentum primarium, cui cætera omnia cohæreant & innitantur, non est aliud, nisi Christus.*

Hæc documenta sunt præceptorum

instar, quibus jubemur inniti Christo, A quod certe non nisi per fidem fit. Præcepta verò dantur adultis, non infantibus. Quomodo Christo cohæreant infantes, non inquirit Baronius, non Casaubonus: neque verò necesse fuit. Adultis scribebat uterque, adultos uterque monebat quàm omnibus sit necessarium adhærere Christo per fidem, nempe quia non aliter hodie servatur quisquam, non aliter unquam servatus est quisquam, adultus videlicet. Hanc fuisse Baronii mentem, si B credidit Casaubonus, nō est, quòd injuriam Baronio factam conqueraris. Superest, ut videamus, an Clementi, Chrysostomo, Justino, fecerit injuriam Casaubonus. In eo, cùm ad quæstionem facti pertineat, brevior ero, Sixtique Senensis potiùs, quàm meis verbis respondebo. Is Bibliothecæ suæ l.6. §.51. *Chrysostomus*, inquit, *in Matthæi 11, 5. homilià 37. videtur opinari, quod Gentilibus & Iudæis ante Christi adventum beneviventibus nulla in Christum fides, nulla Christi cognitio necessaria fuerit* C *ad salutem. Ibi enim talia refert*, Homines, &c. *Rursus in cōcione prima de Lazaro indicat justos, qui Evangelicæ prædicationis tempus præcesserunt, nullam habuisse fidem futuræ resurrectionis: ita de mendico Lazaro scribens: Lazarus ne de resurrectione quidem quidquam potuit Philosophari*, &c. *Huc usq; Chrysostomus, cuius sententiam multis ante eum annis professi fuerant pervetusti quidam scriptores, ex quibus Iustinus martyr in libro quæstionum*, &c. D *Clemens vero Alexandrinus libro V. & VI. Stromatum ait, eos, qui ante Christum vixerunt, honesteq; vixerunt, esse justos factos vel per legem, vel per Philosophiam*, &c. Quæstiones illæ Justino perperam adscribuntur. Videamus igitur, quid legatur ea de re in genuinis Justini scriptis.

Caput IV.

Loca Justini Expenduntur.

Quarto capite vexas Casaubonum quasi Justino facientem injuriam. Justinus apolog. I. scribit: *Christus etiam à Socrate ex parte agnitus.* Λόγος γὰρ ἦν καὶ ἐστὶν ὁ ἐν παντὶ ὤν. *Erat enim & est ratio*, &c. B & apol. II. οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν. οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος. *Quotquot cum ratione vixerunt sunt Christiani, etiamsi athei fuerint crediti, ut inter Græcos Socrates & Heraclitus, inter Barbaros autem Abraham, Ananias, Azarias*, &c. Hîc Casaubonus laudat p. 5. Basilium monentem, *imprimis cavendum ab homonymià vocis* λόγος. Tu λόγον humanum & λόγον divinum plurimùm quidem differre dicis, C sed analogas tamen esse, non æquivocas has voces: dein sic concludis p. 33. *Ergo more suo desipit Casaubonus, neq; quicquam concipere potest, nisi quod pecudis ritu sensu perceperit.* At tu vide quàm te fugiat non minus ratio, quam modestia. 1. Contumeliæ tuæ non minus Basilium feriunt, quàm Casaubonum. 2. Vide quàm rectè statuatur proportio propriè dicta inter finitum & infinitum. 3. Homo quidem ad imaginem Dei conditus est: Sed D imaginem illam quàm multis modis inquinavit & mutilavit homo per peccatum. 4. Ut Christiani simus, non sufficit, ut in nobis sit aliquod vestigium sapientiæ divinæ, quam λόγον vocat Scriptura, sed ut per fidem inseramur huic λόγῳ, quâ Christus, quâ Mediator, quâ Redemptor est. Hoc quàm verè de Socrate, de Heraclito prædicari possit, videris tu, maximè cùm Socrates apud Platonem tam multa doceat cum fide Christianâ, cum recta ratione, cum honestate pugnan-

gnantia. Salvianus de gubern. Dei l.6. *Socrates, quod ad doctrinam attinet, lupanar mundum fecit.*

Caput V.

PSEUDO-ESDRÆ, PSEUDO-SIBYLLINI LIBRI.

QVinto cap. Casaubonum damnas, quod *oracula Sibyllina totius antiquitatis testimonio comprobata in suspicionem vocet exercit.1.§.10.* Sed Casauboni suspicio spectat non simpliciter quævis Sibyllarum oracula. Quis enim neget Sibyllas aliquas fuisse, quædam oracula cecinisse, quædam etiam de Christo vaticinatas? Sed spectat oraculorum Sibyllinorum libros octo sanè perantiquos, & à multis Patribus laudatos, quod putarent eos à Sibylla scriptos, quod omnino persuadere voluit illorum author. Suspicari tamen me cum Baronio fateor, eos non magis à Sibylla scriptos, quam ab Esdra librum illum, qui vulgo dicitur quartus Esdræ, quemque nec pauciores forte nec minus vetusti Patres sub Esdræ nomine citant, & tamen Bellarminus tuus de verbo Dei lib. 1. cap. ultimo: *Sine dubio,* inquit, *non est canonicus, cùm à nullo Concilio referatur in canonem, & non inveniatur neque Hebraicè, neque Græcè, ac demum contineat cap. 6. quædam fabulosa de pisce Henoch & Leviathan, quos maria capere non poterunt, quæ Rabbinorum Talmudistarum somnia sunt. Itaque mirandum est, quid Genebrardo venerit in mentem, ut hunc etiam librum ad canonem pertinere vellet:* Atqui, si verè se nuncuparet Esdram operis huius author, Esdram, inquam, Prophetam Dei jussu de Christo vaticinantem, tam perspicuè, quam quisquam alius, veterum Prophetarum, mirandum potiùs esset, quî factum, ut in canonem non sit admissus. Igitur quotquot eum exclu- serunt à canone eadem operâ testati sunt, se scriptum illud habere pro Pseudepigrapho, qualia multa pietatis obtentu à Christianis inconsiderato præposteroque zelo dictis conficta certum est. Quod si propiùs attendisses, tu, tuique in Casaubono vexando socii, non tam acriter exagitassetis Casauboni de libris illis octo, qui Sibyllis tribuuntur suspicionem, & rationes, quas suspicioni suæ firmandæ adhibet, imprimis hanc. Cùm Scriptura docet notum in Judæa Deum, non sic aliis Gentibus fecisse Deum, nec sua judicia illis nota fecisse, perspicuè testatur ante Christi nativitatem, doctrinam de Deo Mediatore, de Christo Servatore, de fœdere gratiæ non alibi quam in Judæorum canone quærendam fuisse, non alibi reperiri, nisi quantum quis ex sacris Judæorum libris didicisset, tantum abest, ut ab unâ Sibyllâ, eaque Prophetis ac Patriarchis antiquiore, clariùs revelatus sit Christus, quam ab omnibus Prophetis simul.

Caput VI.

TRADITIONES ἄγραφοι.

SExto capite Casauboni de traditionibus Theologiam exagitas. Urges Augustini dictum: *Quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi apostolica auctoritate traditum rectissimè credi.* Casaubonus exercit.1.§.14. *Axioma illud,* inquit, *quod toties pius ille Doctor usurpat, præsertim in Disputationibus contra Donatistas locum habet in dogmaticis, aut in ritibus religionis, quorum custos est Ecclesia, non ubi de certitudine agitur historica multarum narratiuncularum, quæ hodie circumferuntur.* Hîc tu: *Si eam,* inquis, *ob rem in dogmatis ritibusque locum habet Augustini pronuntiatum, quia eorum est custos ecclesia, cùm ea sacræ etiam historiæ custos sit, in historiâ locum habere necesse est.* Tuæ conclusionis invaliditatem docet diversitas inter custodiam rituum, & custodiam narratiuncularum, quæ tanquam Apostolicæ nobis obtruduntur.

Ritus religionis eos intelligit Casaubonus, quorum substantia quidem in Scriptura præcipitur: circumstantiæ verò quædam disertè non præcipiuntur: verbi causa: Deum invocandum, fovendam communionem sanctorum, eam ob caussam cœtus sacros faciendos jubet Scriptura, Sabbatho tamen alligari Christianos, vetat Paulus ad Galatas & Colossenses. Quonam igitur die sunt faciendi cœtus sacri? Id quidem disertè non præcipit Scriptura, sed subinnuit ipsos Apostolos feriâ primâ, die Dominicâ cœtus suos facere solitos. Id observarunt omnes omnium locorum, seculorum omnium ecclesię, quarum ad nos aliqua pervenit notitia. Quis igitur nisi demens & protervus neget id ab Apostolis institutum esse? At num idem affirmare potes de traditionibus iis, quas rejicimus, quasque vos soletis ut Apostolicas venditare? Quanto minus id prædicare potes de narratiunculis illis, quas ut Apostolicas venditant Legendæ vestræ, cùm tamen earum pleræq; χθὲς καὶ πρώην natæ manifesta falsi præferant argumenta?

Caput VII.

B. Mariæ Virginitas, Votum.

Septimo capite & l. 2. c. 2. reprehendis Casaubonum, ut inconstanter & male de B. Mariæ virginitate sentientem, exercit. 1. §. 17. & 24. Qui sine præjudicio Casaubonum legerit, nec in constantiæ nec erroris eum accusabit. B. virginem tam postridie partus, quàm pridiè conceptionis Virginem fuisse simpliciter necessarium credit, & cum illo credunt omnes pii, credunt omnes Ecclesiæ nostræ, & consequenter Virginem ante partum, in partu, post partum. Illud autem *post partum*, an sit ad mortem usque continuandum, dubitationem injicere videntur

A quædam Scripturæ loca Matth. 1, 24. 12, 46. 47. Marc. 3, 31. 32. Luc. 8, 19. 20. Sed constanter affirmat Casaubonus, constanter affirmamus omnes ex his locis non necessariò sequi B. Virginem alios præter Christum genuisse liberos. Constanter laudat Casaubonus, constanter laudamus omnes Basilii sententiam dicẽtis: ἡμεῖς, εἰ καὶ μηδὲν τῷ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεται λόγῳ (μέχρι γὰρ τῆς κατὰ τὴν οἰκονομίαν ὑπηρεσίας ἀναγκαία ἡ παρθενία. τὸ

B δ' ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου καταλειψόμενον) ὅμως διὰ τὸ μὴ δέχεσθαι τῶν φιλοχρίστων τὴν ἀκοήν, ὅτι ποτὲ ἐπαύσατο εἶναι παρθένος ἡ θεοτόκος, ἐκείνας ἡγούμεθα τὰς μαρτυρίας αὐτάρκεις. Horum verborum partem tantum interpretatur Casaubonus hoc modo. *Quod superest, omittamus quærere, & mysterio, sive silentio relinquamus. Caussam ibidem affert Basilius, quia nihil ea res pietatem lædit.* Casaubono Janum Cornerium, dein Philip-

C pum Notium interpretes opponis, dein addis pro cæterâ tuâ modestiâ: *Quid hæc habent commune cum Casaubonianis ineptiis, aut quî venire sano cuiquam in mentem potest, id sibi eo loco velle Basilium, quod somniavit Casaubonus?* At ego contestor apud pios omnes & peritos literarum Græcarum viros, & contendo Casaubonianam interpretationem Cornerianâ accùratiorem esse, Notianâ verò multò fideliorem: Notianam, inquam, tam infidelem esse quàm

D fidelis est Casauboniana. Ἀπολυπραγμόνητον est id: περὶ οὗ μὴ πολυπραγμονητέον. De quo non est curiosè inquirendum. Participium autem ὂν passim omitti notum est iis qui primoribus labris Græca degustarunt, ut & μυστήριον Græcis aliquando sumi pro re silentio obtegenda. Hesichius, Μύστης, πλουμένος, σιωπηλός. Etymologus author, μυστήρια, ἃ δεῖ μύσαντες τηρεῖν ἔνδον. Suidas, Μύειν τὸ κλείειν. Eustathius in Iliad. ω. p. 1492. Μύστης καὶ μυστήριον, εἰς ἀνάγκην μύειν τὸ στόμα καὶ μὴ ἐκφαίνειν ἃ μεμύηνται. Igitur Casaubonus censet & me-

&c meritò cenſet hanc eſſe Baſilii mentem, A neceſſarium fuiſſe B. Mariæ virginitatem *uſq; ad completum œconomiæ*, hoc eſt, nativitatis Chriſti *myſterium.* An autem poſtea liberos ſuſceperit, id ἀπολυπραγμόνητον (ὂν videlicet) cùm curioſa diſquiſitione non indigeat, τῷ λόγῳ μυστηρίου ἀπολείψωμεν, rationi ſilentii, vel inter arcana relinquamus, quia etiamſi daretur, eam poſtea liberos genuiſſe, id doctrinæ pietatis non officeret, tamen quia eorum, qui Chriſtum amant, aures non admittunt, ut deipara dicatur unquam eſſe deſiiſſe virgo, B putamus hæc teſtimonia ſufficere: debere, inquam, ſufficere iis, quibus aliquot Scripturæ teſtimonia dubitationem aliquã de perpetuâ B. Mariæ virginitate injiciunt. Cur autem perpetuatam à B. Mariâ virginitatem credamus, hæc eſt cauſa, quod beatiorem exiſtimet Paulus 1. Cor. 7. eam quæ virginali, quàm quæ conjugali tantum caſtitate prædita eſt. Cùm autem *benedictam inter mulieres* pronuntiet C Angelus Mariam, cùm ipſa dicat: *Beatam me predicabunt omnes gentes*, Lucæ 1. piè meritoque credunt οἱ φιλόχριστοι, quos laudat Baſilius, nulli mulieri beatitudine, ſanctitateve ſecundam fuiſſe B. Mariam, eoque cùm multis virginalis ſanctimoniæ beatitudinem largitus ſit Deus, nullo modo rationi conſentaneum videri, ut eam adoream tam ſacroſancto Spiritus ſancti templo denegarit. Virginitatis votum quod attinet *ad fidem*, inquis, *catholicam pertinere non modo certum tempus, quo votum id nuncupatum ſit, cùm ea de re Catholici iiq; graviſſimi ſcriptores diſſentiant, ſed ipſam omninò nuncupationem voti equidem qui doceret, neminem vidi.* Patere nos addere, nuncupationem illam ad fidem pertinere non poſſe, cùm eam non evincant verba, ex quibus eam quidam probabiliter conjecerunt, cùm hujuſmodi voti nullum extet exemplum in totâ Scripturâ, cùm hoc votum á B. Maria nuncupatum nulla Synodus ſanxerit, nullus ante quartum ſeculum jam Gregorii Nazianzeni teſtimonio corruptiſſimum doctor affirmarit. Poſt tertium demum ſeculum votum hoc à B. Maria nuncupatum ſuſpicati ſunt quidam, dein affirmarunt multi, inter quos Baronius. Hoc illud eſt, quod proprie reprehendit Caſaubonus. De tempore nuncupationis ſciebat inter vos non ita conſtare, ſed & ſciebat quibuſdam etiam Baronio magis placere votum id ante ſponſalia nuncupatum, quod meritò ſugillat Caſaubonus. B In eo Baronium ut reprehenderet, calumnia non fuit opus, calumniâ nullâ fuit uſus, quidquid obſtrepas hîc & lib. 2. cap. 5. p. 143.

Caput VIII.

ἌΠΟΡΑ SCRIPTURÆ, VERSIO VULGATA, AN MATTHÆUS EVANGELIUM HEBRAICE SCRIPSERIT: C TU ES PETRUS, &c.

CAp. VIII. Caſaubonum reprehendis, ut de literis ſacris male ſentientem, ac dicentem *exercit.* 13. §. 1.2. *in re conſentire ſemper Evangeliſtas, in circumſtantiis non ſemper.* Sed cùm ibidem fatearis ab eo laudatum Chryſoſtomum, dicentem: *illa quæ videtur eſſe inter illos diſſenſio in parvis, ab omni illos liberat ſuſpicione*, hinc colligere D debuiſti, quænam eſſet mens Caſauboni dicentis: *Evangeliſtas in circumſtantiis non ſemper conſentire*, nempe quod is hanc, alter aliam circumſtantiam exprimit, ut alter ab altero ſupplendus ſit, non corrigendus; dein, quod etiam videantur aliquando diſſentire, ut alter ab altero ſit explicandus, neuter in falſi ſuſpicionem vocandus. Nam & Caſaubonus, & Eccleſiæ noſtræ omnes uno fatentur ore, nec in ſubſtantiâ, reive ſummâ, nec in circumſtantiis falſi quidquam ſcriptum in ullo libro canonico, cùm fuerint omnes divi-

nitus inspirati. Deus autem nec fallere, nec falli potest, nec in parvis, nec in magnis rebus. Hanc esse Casauboni fidem, docent ea, quæ laudas ibidem, eius exercit. 13. §. 18. verba: *In sacri canonis fontibus & res & verba immediatè à Spiritu sancto profecta, qui Prophetis & Apostolis & Evangelistis & quæ scriberent, & quomodo scriberent, suggeßit.* Quod autem exigis, ut fateatur, *etiam interpretum verba à Spiritu sancto esse, si fidus interpres fuerit*, id iniquum esse, nemo pius ac prudens negabit. Nam fidus interpres dici potest, qui bonâ fide vertit, qui saltem ut plurimùm mentem auctoris exprimit, etiamsi quibusdam in locis eam non assequatur, etiamsi sæpe vim, emphasin, propriam verborum significationem non exprimat. Omnes sacri canonis auctores in scribendo divinitus afflatos esse, testatur ipsa Scriptura, fatentur omnes Synodi, Patres omnes. De Græcis, de Latinis interpretibus idem nec Scriptura, nec ulla Synodus affirmat, œcumenica certè nulla. Græci suam pluris faciunt, Latini suam. Utraque μυριάκις μυριάκις præstantiores sunt ipsi fontes. *Cur*, inquis, *Concilio Tridentino succenset Casaubonus statuenti, ut vulgata versio pro authentica habeatur, & ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat: Quid enim fecit aliud concilium, nisi ut fidelem eam pronuntiaret?* Amplius quid & multo majus flagitant Tridentini, nempe ut habeatur simpliciter inculpata: quod si semel admiserimus, cùm ab Hebraica veritate sæpissimè dissentiat, perit authenticorum fontium, ad quos Hieronymus ipse, quin & Augustinus nos remittit, authoritas. Hieronymũ bonâ fide vertisse, nullus dubito: Sed homo fuit, humani à se nihil alienum putavit. Quam hodie vultis Hieronymianã esse, multis locis non est illa, quam Hieronymus ex Hebraicæ veritatis fontibus hausit, sed multis locis interpolata, mendosa, vitiata. Quis Græcis Patribus ausus fuisset negare, fidelem esse versionem

A Græcam, quâ utebantur, quamque LXX. Seniorum esse credebant? Et tamen quidni mihi liceat eam sæpe rejicere, cùm Hieronymus eam sæpe repudiarit, cùm sæpe multo melior illâ sit hæc, quæ dicitur Hieronymiana? Sed & scito Græcam vicissim non paucis locis vulgatâ Latinâ meliorem esse.

Tu tamen, ut Casaubonum suo gladio jugules, urges id, quod ait: *Græcum ex Hebræo B. Matthæi textum sancti Spiritus auspiciis esse confectum*, dein infers: *Cur, quod* B *Græco Evangelii eius interpreti tribuit Casaubonus, ac minus etiam multo Latino interpreti tribui nefas existimat?* Quod tam confidenter affirmas, Evangelium à Matthæo primum Hebraicè scriptum, id Casaubonus quidem συγχωρητικῶς largitur; quod veteres quidam id scripserint, negarit nemo. Nego tamen id sufficere ad extorquendam ab eo confessionem, qui assertionem hanc in dubium revocaret. Quo- C tus quisque veterum negavit cycnos canere, viperarum alvum à suis fœtibus erodi, ursos informes nasci. Quàm multi hæc quasi certa passim affirmarunt? Et tamen hodie constat falsam hanc fuisse veterum suspicionem. Evangelium Matthæi tres forte quatuorve veteres dixerunt Hebraicè primum fuisse conscriptum. Cæterum Hebraicum illud αὐτόγραφον, vel authenticum ne unus quidem à se lectum affirmat. Contra quod ab D Ebionitis ostentabatur Evangelium Matthæi scriptum Hebraicè, huius authoritate urgeri se non patiebantur Epiphanius, Hieronymus, alii. Non habebant igitur editionem illam pro authentica. Illam verò quæ dicebatur authentica, quis unquam à se conspectam affirmavit, quis Orthodoxus illius usus est authoritate? Hebraicum aliquod exemplar authenticum alicubi forsan extare, non negabant Patres: Quid enim id ab illis negari necesse erat? Quid si non aliunde, quàm ab Ebionitis accepit, quod primus

Ortho-

Orthodoxos narrat Irenæus lib. 3. cap. 1? Quid ſi Patres Irenæo recentiores non aliunde, quàm ab Irenæo mutuati ſunt relationem illam de Matthæi Evangelio Hebraicè primùm ſcripto? Quanto rationi convenientius eſt, ut credamus pauculos aliquot Doctores hac in parte nimis credulos fuiſſe, quàm, ut credamus, ſacroſanctum illud depoſitum ab omnibus Eccleſiis tam negligenter habitum, ut ne una quidem compareat, quæ dici poſſit divinum illud κειμήλιον, nec αὐτόγραφον, inquam, nec ullum eius ἀπόγραφον Hebraicum vel annum unum aſſervaſſe? poſteris ſervandum commendaſſe? Jam ut patienter feramus, tot non tantum Chriſtianorum, ſed Eccleſiarum tot myriadas tam inſignitæ ſupinitatis accuſari, ut earum nulla theſaurum tantum ullo in pretio habuerit, annon ſaltem in re merito cenſent omnes pii, Græcum illud Evangelii ſecundum Matthæum exemplar, quod omnes Orthodoxi, omnes, tam Latinæ, quàm Græcæ Eccleſiæ pro authentico ſemper habuerunt, tale revera fuiſſe, utpote vel hac lingua primùm à Spiritu S. dictatū, vel eodem authore Græca linguâ donatum, ad uſum tam Orientalium, quàm Occidentalium Eccleſiarum?

Quid ſimile dicere potes de vulgata verſione? Hanc vos ipſi vocatis Hieronymianam. An unquam Hieronymus ſe Prophetam habuit? An ulla Synodus illum ſtatuit habendum pro Propheta? An non contra ducentos circiter annos exploſa eſt Hieronymi verſio, & vix tandem circa ſexcenteſimum annum admiſſa eaque non tota, non integra? nec ab omnibus, ſed ab Occidentalibus tantum eccleſiis? Factum id non ullius Synodi decreto, non certo deliberatoque conſilio, ſed uſu, conſuetudine, tacito quodam librariorum conſenſu, qui paulatim effecit, ut jam nuſquam forte compareant ulla veterum verſionum exemplaria, ſed earum locum occuparit Hieronymiana,

A non quidem in omnibus, ſed in pleriſque veteris teſtamenti libris. Hanc tu verſionem æquabis Græco Matthæi exemplari, de cuius authenticâ fide nullus Orthodoxus, Eccleſia nulla dubitavit unquam?

Quia, inquis, *in iis verbis: Tu es Petrus, &c. eam Petri & Petræ diverſitatem, quam præ ſe ferunt Græci Latiniq; codices, Hebraicum B. Matthæi Evangelium non ferebat, Græcè verò πέτρος ac πέτρα idem planè ſignificare poſſunt, ex eoq;*
B *Catholici colligunt, inanem eorum obſervationem eſſe, qui quod Petrus priore loco, poſteriore Petra apud Græcum & Latinum interpretem habeatur, putant aliam atq; aliam earum vocum ſignificationem apud Evangeliſtam eſſe.* Quid? ego te, pauculoſque ac nuperos diſtinctionis illius contemptores pro Catholicis habebo potiùs, quàm Auguſtinum diſtinctionis illius obſervatorem ſedulum, quem eo nomine plus quam mille poſt eius obitum annis damnavit nemo, ſecuti
C ſunt multi? Quæ verò tua eſt illa temeritas, qui de Hebraicâ editione ſententiam feras, quam neque tu vidiſti, neque quiſquam unquam à ſe viſam teſtatus legitur? *Diverſitatem illam*, inquis, *ferre non poteſt Hebraicus ſermo.* Quidni? Cùm eam ferant tam Syriaca, quam Gallica lingua, quam prima fronte videntur non ferre? πέτρος, inquis, & πέτρα *poſſunt idem planè ſignificare.* Sed cùm κυριώτερον, & ſæpiùs diverſa ſignificent, quis niſi ſponte cæcu-
D tiens neget diverſitatem vocum conſultò adhibitam, ad notandam aliquam ſignificationis diverſitatem?

Hanc Calvini obſervationem, inquis, *quaſi ridiculam ac puerilem Maldonatus exagitat, quod Matthæus non Græca, ſed Hebraicâ, aut Chaldaicâ, vel Syriacâ linguâ ſcripſerit, quibus linguis iſta generis differentia, quæ Græcè & Latinè eſt inter Petrum & Petram, non reperitur.* Non ſolum Calvinum feriunt Maldonati dicteria. Tu cum illo quod affirmas, id ego falſiſſimum eſſe contendo. Quid enim, ſi Matthæus Hebraicè ſcripſerit

את כיק ועל חצאת צור *Atta ciph, veal hazzot tsur*, &c. Sed demus Hebraicè scriptum fuisse, את כיפה ועל חצאת כיפה *Atta cepha veal hazzot cepha*, &c. An non potuit, an non debuit una eademque vox *cepha* primo quidem in membro masculini generis esse, in altero fœminini? An non eodem modo Gallica lingua, licet vocem non variet, varietatem tamen generis usurpat? *Tu es Pierre & sur ceste pierre.* Non igitur Calvino, non nobis, sed Maldonato, sed tibi, reliquisque tui nuper conficti sophismatis assertoribus adscribenda, quam superciliosè nobis objicis, *Hebraica linguæ ignoratio.*

De Græcâ LXX. seniorum interpretatione quæ disseris pertinent non tantùm ad veritatis Hebraicæ, sed etiam ad vulgatæ versionis contumeliam. Nam si, quam Irenæus eoque recentiores Patres LXX. senioribus tribuunt, quæ nunc quoque tribuitur illis versio sit inculpata, quod tu Baronium secutus affirmas, vitiosissima sit, necesse est tum Hebraica veritas, tum vulgata versio.

Caput IX. & X.

Ritus Diei Propitiationis: Simeonis Justi Mors: Judicia Capitalia Judæis Erepta: Vaticinium Jacobi.

CAp. IX. & X. & lib. 2. cap. 1. & 3. Casaubonum reprehendis, quod Jacobi de Christo vaticinium Genes. XLIX. perperam intellexerit. In eo, si quam habes justam à Casaubono dissentiendi caussam, vide ne quis etiam ex tuis profiteatur habere se non minus justam à te dissentiendi caussam. Hîc ego dicam, non tam in quo, vel tecum, vel cum Casaubono consentiam, quam quid in genere de re tota sentiam. Eadem operâ ne semper litigiosa sit oratio nostra, nonnulla

A dicam ad Judaicas antiquitates pertinentia, quæ, ni fallor, neque tuos, neque nostros offendent.

Quinto Pilati, Tiberii XVII. V. C. 783. anno suæ genti multa contigisse refert Talmud, quibus explicandis rem altiùs paulò repetemus. Levitici XVI. jubetur Aaron die propitiationis, decimo Tisri duos hircos statuere ad ostium tabernaculi conventus. *Et ponet*, inquit Moses, *sortes supra duos illos hircos, sortem unam Domino, sortem alterã Azazeli*

B *Misnajoth* tractatu יומא quo ritus huius diei recensetur cap. 4, §. 1. *Corripiebat summus sacerdos cortices & attollebat duas sortes, uni nomen Dei, alteri vero inscribebatur Azazel. Segan erat ad dextram eius & Princeps domus Patris* (sic vocari videtur στρατηγὸς ἱερȣ̃, de quo Lucas Actor. 4. & 5.) *ad sinistram eius. Si Dei sors ascenderet ad dextram Seganis, Is dicebat illi, ignita sacrificia summi sacerdotis attollat dextera tua. Quod si* Dei sors *ascenderet ad sini-*

C *stram eius* Seganis, *tum Princeps domus Patris dicebat, ignita sacrificia summi sacerdotis attollat sinistra tua.* & §. 2. *Alligabatur vitta purpurea Capiti hirci emittendi*: & ad calcem capitis sexti: *Lingua*, i.e. vitta *purpurea alligabatur portæ templi. Cùm autem hircus pervenerat in desertum, albescebat illa vitta. Dicitur enim* Esaiæ primo: *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum sicut nix albebunt.* Igitur favoris divini signa tum erant, si sors ad dextram ascenderet, si vitta purpurea al-

D besceret, &c. Simeon ille, quem justum vocat Talmud, quem Hillelis filium, Gamalielis patrem ait R. Moses Maimonis filius in Misnæ præfatione, videtur is esse, qui Lucæ secundo dicitur in templo Christum amplexus exclamasse: *Nunc dimittis, domine, servum tuum.* Videlicet jam tum nonagenarius erat. Vixit tamen postea triginta circiter annos, & quinto demum Pilati anno defunctus videtur. Utut sit, de Simeone justo sic ait Talmud in tractatu יומא cap. 4. statim initio fol. 39. a. *Annis quadraginta, quibus mi-*

bus ministravit Simeon justus, sors ascendebat dextrorsum, deinceps aliquando dextrorsum, aliquando sinistrorsum. Tum quoq; vitta purpurea albescebat: deinceps nonnunquam albescebat, aliquando non albescebat. Lucerna vespertina ardebat, deinceps nonnunquam ardebat, aliquando extinguebatur. Deinde pagina sequente: *Anno quo mortuus est Simeon justus, dixit eis, eo se moriturum anno. Dixerunt illi? Vnde hoc cognoscis? Dixit eis: Singulis diebus propitiationum occurrebat mihi senex aliquis vestibus candidis indutus, & pallio candido. Ingrediebatur mecum & egrediebatur mecum. Hodie occurrit mihi senex pullis vestibus indutus pulloq; pallio. Ingressus est mecum, sed non egressus est mecum. Postquam obtulit placentam septiduanam, obiit, & fratres eius prohibiti sunt à benedictione nominis,* id est, Dei. Hæc oblatio placentæ septiduanæ satis indicat Simeonem justum non fuisse summum Sacerdotem, sed hebdomadarium. Multæ passim occurrunt in Talmude repetitiones. Igitur ea, quæ modo retulimus, repetens Talmud: *Annis*, inquit, *quadraginta ante templi subversionem sors non ascendebat amplius dextrorsum, fuscia coccinea non albescebat, vespertina lucerna non ardebat*, id est, hæc constanter, ut antea, non fiebant, *& templi fores per se patebant.* Buxtorfius de literis Hebraicis optimè meritus in recensione vel judiculo Talmudis pag. 190. patefactionem hanc portarum templi de velo templi fisso interpretatur. Interpretationem hanc sibi probari testatur Casaubonus in suis adversus Baronium exercitationibus. Sed neque res, neque tempus satis convenit. Igitur hæc potius videtur esse Talmudis sentẽtia, templi valvas ante Simeonis Justi mortem, nunquã per se patuisse, postea non quidem semper, sed aliquando per se patuisse, quod inter sinistra Judæorum omina refert etiam Josephus. Talmudis tractatu de Synedrio cap. 5. fol. 41. a. *Omnes anni Rabbini* sive Magistri *nostri Iohannis filii Zacæi fuerunt centum & viginti. Annos quadraginta* עסק כפרק מטיא *na-*

A *vavit operam vita politica, annos quadraginta didicit, annos quadraginta docuit.* Ita Johannes hic eodem quo Simeon justus anno mortuus est.

Pergit Talmud: *Annis quadraginta ante templi subversionẽ migravit Synedriũ*, magnũ scilicet de Gazit, ut rectè R. Salomon interpreatur, *& collocatum est in Hanot, & dixit R. Isaac Abodimæi filius. Dixeris forte vetitum illi, ne judicaret* דיני קנסות *causas civiles. Cave credas. Vetitum est illi, ne judicaret* דינ ינפשות
B *causas capitales.* Hieronymus à sanctâ fide contra populares suos disputans A. D. 1412. huius loci meminit, & insuper alterius ex tractatu de Idololatria. *Annis quadraginta ante secundi templi subversionem fuerunt remoti Sanhedrim de consistorio Gazit & fuerunt positi in Anot. Et deinde nunquam amplius judicium criminale judicarunt, eo quod criminale judicium non nisi in consistorio Gazit licebat judicare.* Et mox: *Tum cooperti sunt saccis & capillos suos pillaverunt, dicentes: Væ*
C *nobis, quia sceptrum Iuda est ablatum, & filius David in mundum* (deest particula nondum) *venit.* Imò venerat, ô perduelles, venerat. Sed ad confirmationem oraculi Jacobei, rursus audite vestrum R. Mosen affirmativo mandato XCIX. C. CI. CII. *Annis XL. ante secundi templi destructionem, cùm Siccarii multiplicarentur, migravit Synedrium* magnum *è loco suo, & abolita sunt judicia animarum ex Israele.* Hæc eò fusiùs enarravimus, quia pertinent tum ad poli-
D tiæ Judaicæ, tum imprimis ad prophetiæ Jacobi illustrationem, quæ gravissimos quosque scriptores pridem exercuit, ac inter cæteros Jos. Scaligerum, Is. Casaubonum, Baronium, Bulengerum, cuius, quia postremus ea de re scripsit, sententiam sufficiet expendere. Bulengerus igitur Casaubonum alloquens: *Bene defendis*, inquit p. 71. *in vaticinio Iacobi per Iudam populum Iudæum intelligi, male negas vaticinium illud sub Herode Christo Domino nato impletum, cùm authores tui Iustinus & Eusebius disertè ante Christum natum duces & prophetas*

de Iuda fuisse, post Christum natum defuisse asseverent. & p. 72. *Christo Domino ante obitum Herodis uno prater propter anno nato, & duces & propheta Iudaica gentis evanuere. Omnino vel Iacobi vaticinium sub Herode impletum est, cuius extremo regni anno natus est Christus, vel nullo postea tempore impletum est. Vaticinium enim disertè ostendit, sceptrum de Iuda non ante defecturum, quàm veniat, qui mittendus est. Sed is venit sub Herode rege Iudaa: Defecerat igitur sub Herode sceptrum de Iuda.* Contra verba Jacobi Genes. 49. potiùs postulant, ut dicamus; Christum venturum antequam omnino recedat sceptrum de Juda. At inter Christi nativitatem & Herodis mortem quid contigit, quod referri possit ad illius sceptri abolitionem? Herode verò mortuo jam valde mutilari cœpit illud sceptrum, cùm Archelaus eoq; tota gens Judaica multò arctioribus vinculis alligaretur jugo Romano, quàm Archelai pater Herodes. Archelao pulso sceptri Judæ mutilationi magnam accessionem factam patet, cùm tribus Juda tum prorsus in provinciæ formam redacta sit, neq; posthac unquam facta sit sui juris; cùm antehac sub Babyloniis deliquium potiùs passum fuerit, quàm prorsus abolitum sceptrum Juda, sive gentem totam, sive, quod multò convenientiùs videtur, tribum Juda spectes. Certè Jacob eo capite cuique tribui suum assignat elogium. Non igitur voce Juda totum δωδεκάφυλον, sed tribum Juda intelligit. Ex quo Ruben ob incestum, Simeon & Levi ob immanem in Sichemitas perfidiam exciderunt jure primogenituræ: jus illud ad Judam transiit, eiusque vestigium aliquod etiam ante Jacobi mortem videmus, Geneseos 43, 8. 44, 14. 16. Imprimis post Jacobi, certè post Josephi mortem tribus huius fuit hæc perpetua prærogativa, quod etiamsi Duces, Judices, Reges ex aliâ quavis tribu præessent toti δωδεκαφύλῳ, tamen tribus Juda primatum inter alias semper obtinebat, & aliquā προστασίας, certè προεδρίας

A speciem Numer. 10, 14. 11, 3. eùm ne Reges quidem ipsi quidquam, quod totum δωδεκάφυλον spectaret, aut paulò majoris esset momenti, moliri deberent, nisi de sententia Synedrii LXXII. viralis. Præterea fuit etiam hæc prærogativa tribus Juda, quod in ea sedem haberet summum illud Synedrium, cuius vis & authoritas præcipua sub Pilato, tota sub Vespasiano non ad unum, ut sub Babyloniis, jubileum, sed in æternum intercidit, cùm ha-

B ctenus jure sceptri fuisset usa, quod innuit Moses Num. 21, 18. *Ascende putee, celeusma conclamate ei, putee, quem effodiunt principes, quem fodiunt ingenui è populo cum Legislatore,* hoc est, Legislatorum Synedrio LXXII. virali *Scipionibus suis instructo.* Hîc משען Scipio prorsus idem est quod שבט sceptrum Genes. 49, 10. jurisdictionis videlicet insigne. Hactenus LXXII. viri fuerant quasi totidem σκηπτοῦχοι βασιλεῖς. Erepta necis & vitæ potestate nihil erat

C Synedrii sceptrum, nisi κενοτάφιον & nomen evanidum. Cùm igitur huius Synedrii sedes esset in tribu Juda, cùm in eo Synedrio primas obtineret tribus Juda, Pilatus jus vitæ & necis huic Synedrio eripiens id abolevit. In quo potissimùm eminebant τὰ πρεσβεῖα tribus Juda. Huic Synedrio cùm ereptum est jus vitæ & necis, & ita quidem, ut id postea nunquam recuperarit, tum certè nihil video quod meritò desiderari possit ad integram sce-

D ptri Juda abolitionem. Prophetas enim, quod attinet, nunquam plures habuit tribus Juda, quàm illo seculo, quod Christi nativitatem proximè secutum est. Quod si pertendas, priùs abolendum fuisse sceptrum Juda, quàm veniret Christus, ne sic quidem corruet interpretatio nostra. Potest enim dici Christus tum demum venisse, cùm præcursor eius Johannes è medio sublatus est. Potuit etiam Synedrio detrahi jus vitæ ac necis uno priùs, quàm Judæi notent, anno (tempus enim illi definiunt ὁλοσχερῶς) paulo priùs quàm

Chri-

Chriſtus inciperet Evangelium prædicare. Sed prior interpretatio magis placet, venturum à Jacobo prædici Chriſtum, prius quàm tribui Juda ſuum eriperetur decus, & quidem in æternum. Cùm igitur ſuum illud decus pridem amiſerit tribus Juda, neceſſe eſt Meſſiam pridem veniſſe. Quod affirmat Philo de monarchia lib. 2. Sacerdotibus quidem ſecundi ordinis (Judæi vocant הדיות ἰδιώτας) *licuiſſe conjuges etiam ex aliis tribubus ducere, ſummum verò ſacerdotem debuiſſe ducere* ἱερείαν
B ἐξ ἱερέων, ἵνα ἐκ μιᾶς οἰκίας, καὶ τρόπον τινα ἐκ τοῦ αὐτοῦ αἵματος ὤσι νυμφίος τε καὶ νύμφη *ſacerdotalem ex ſacerdotibus ortam, ut ex eâdem domo ac propemodum ex eodem ſanguine ſit ſponſus ac ſponſa*, id quàm verum ſit, dubito. Nam ſi vera narrat Philo, ne extra Aaronis quidem familiam, nedum extra tribum Levi licuerit ſummo ſacerdoti uxorem ducere, quod falſum eſſe docet exemplum Jojadæ, quod laudant Lyranus, Abulenſis, & tu adverſus Caſaubonum C
l. 1. c. 9. Nec eſt quod hinc colligas *communia tribus Levi & tribus Iuda fuiſſe jura.* Nam nec ſi verum quidem eſſet Philonis axioma, tamen verum eſſet tuum corollarium, quia tum diceretur Jojada duxiſſe uxorem ex domo regia, ante quam eſſet ſummus ſacerdos. Ut autem tribui Juda nunquã licuit ſacrificare, ſic tribui Levi nunquam licuit ſibi regnum arrogare. Fieri poteſt, ut Mathathias Aſamonæorũ pater à Jojada, vel quavis aliâ ratione à D
tribu Juda, vel etiam à familia Davidis originem duxerit. Sed an revera maternum genus duxerit à tribu Juda, à domo Davidis duxerit, id nego conſtare. Itaque qui Judæ ſceptrum in ſolis regibus, aut etiam principibus ſpectant, ii quibus ſe difficultatibus involvant, vide. Jacob obiit ferè mille ſeptingentis annis ante Chriſti nativitatem: Ut Othonielis, Abeſanis, Davidis & eius ad Sedekiam uſque poſterorum annos numeres, non efficies ſeptingentos annos, vix ſexcentos.

A Ita mille circiter annorum ſpatium ſupererit, hoc eſt, totius intervalli, plus quam ſemiſſiſ, quo tribus Juda nec Regem, nec Principem ullum habuit. Quod Aſamonæos dicunt genus maternum à tribu Juda duxiſſe, quomodo probant? aut quidni potuit etiam Herodes, genus maternum ab eâdem tribu ducere? Is certè apud Joſephum Originum l. 15. c. 14. *Templum*, inquit, *Deo inſtaurarunt* πατέρες ἡμέτεροι, *patres noſtri*, quaſi Zorobabelem
B inter majores ſuos numerans. Et meritò Caſaubonus laudat Talmudicum illud, *familiam matris non vocari familiam*, apud Judæos videlicet, in iis, qui lege naturæ naſcuntur ex patre & matre. Itaq; quod objicis, Chriſtum è tribu Juda originem ducere, licet patrem non habuerit, alienum eſt, & Talmudis axioma confirmat potiùs quàm convellit. Nam quod Chriſtus dicitur filius Judæ, perinde eſt, ac ſi dicas, Chriſti mater erat ex tribu Juda. At
C qui maternum genus à Levitis ducere potuit. Sed undecunque maternum genus duxerit B. Virgo, tamen ad ſolam tribum Juda refertur ipſius proſapia. Inſtas: *Apud pleraſq; gentes paterna jura, ſi mares defuerint, ad fœminas tranſeunt.* At cùm regnabant Aſamonæi, num defecerat tribus Juda, vel mares à Davide oriundi? Quo jure igitur potuiſſent Aſamonæi gloriari paterna Davidicæ domus vel tribus Juda jura ad ſe tranſiviſſe?

Caput XI.

QVID SIT ΒΑΤΤΟΛΟΓΙΑ, QVID APOSTOLATUS.

CAp. XI. Caſaubonum reprehendis quaſi Chriſti verba Matth. 6, 7. perperam ſit interpretatus. Dixerat Baronius A. D. 32. §. 14. *Evangeliſtæ textus non habet* πολυλογίαν, *ſed* βαττολογίαν. Caſaubonus ait exercit. XIV. §. 8. perperam id affirmari, cùm utramque vocem habeat & damnet

damnet Evangelistæ textus, quod cùm suâ luce pateat, alterutrum vel utrumque vitium tecum incurram, si longiore sermone rem tam perspicuam velim confirmare. Illud quoque probatione non indiget à Christo damnari non *simpliciter multiloquium, sed inanem sermonem*, nisi quod aptiùs & apertiùs dixisset Baronius damnari, non quamvis prolixitatem orationis, nec quamvis repetitionem, sed inanem, plus fuci quàm veri, plus ambitionis quã pietatis, plus superstitionis habentẽ quàm zeli: At quis pius his, quæ damnari fateris, criminibus liberabit iteratas certo numero sine intelligentia, sine attentione, intercurrendum precularum demurmurationes, quales ab iis, qui pro devotissimis apud vos habentur, quotidie fiunt? maximè cùm ad creaturas multò sæpiùs quàm ad creatorem suam orationẽ convertant? Quis prudens idololatricam & superstitiosam battologiam negabit, quod jubet Rosarium, ut terna quotidie globulorum fila percurrantur, quorum unũ quodque contineat quinquagena Ave Maria, & quina Pater noster? Postea regrederis ad exercitationis Casaubonianæ XIV. §. 4. Baronius A.D.32. §.5. explicatâ vocis *Apostolus* etymologiâ, variaque significatione: *Iam verò quod ad Apostolos Christi spectat, eâ de causâ illos elegit Christus, ut verbi prædicatione orbi caligine offuso lumen veritatis impartirent.* Casaubonus exercit. 14. §. 4. *Hæc descriptio propter multiplicem omissionem vitiosa est.* Hîc tu. *Quî scit*, inquis, *descriptionem Apostolatus eam esse Baronio*? At id suadet series sermonis. Deinde quidni potuit Casaubonus in Annalium Ecclesiasticorum conditore descriptionem Apostolatus desiderare, & quidem descriptionem Baronianâ pleniorem? Quidni, quod Baronio deesse videbat Casaubonus, id supplere potuit? Professus fuerat eo se consilio scribere, non tantum ut emendaret ea quæ putabat emendanda, sed etiam ut suppleret ea, quæ Baronius omiserat ad antiquitatem eccle-A siasticã pertinentia. Tu quod Casauboni descriptionem Baronianâ certè pleniorẽ vellicas, id cùm recriminandi tantum animo facias, & meram vitiligationem contineat, in eo cur immorer, nihil est necesse.

Caput XII.

Petri Primatus.

CAp. XII. Casaubonũ damnas quod exercit. 13. §. 12. nullum in Apostolos B dominatum Petro datũ agnoscat his verbis: *Tu es Petrus*, &c. nedum dominatum hunc Petri meritò datum, cùm ne Apostolatum quidem Petri meritò datum, ut dicamus, patiatur Benedictus Justinianus Magister tuus. Tu dicis ab Apostolatu male concludi ad dominatum, vel, ut tu loqueris, ad primatũ inter Apostolos. Sed valet argumentum à minori ad majus. Nam si minus beneficium merè gratuitũ à nobis agnosci debet, quantò magis tantum? C Sed Casauboni scilicet misereris, quod exercit. 15. §. 8. neget, *quod Petrus Petra Ecclesiæ dictus sit, ex eo primatum eius satis probari posse, cùm idem sit in ædificio fundamentum, quod in Rep. princeps.* Verum id quidem, quisquis est simpliciter & absolutè totius ecclesiæ fundamentum, idem est totius Ecclesię Princeps: At prius illud soli Christo scriptura tribuit, ergo & posterius. Petrum nusquam vocat scriptura Petram Ecclesiæ. Sed ut largiamur hoc elogium D in Scriptura Petro dari, certè simpliciter & absolutè totius in universum Ecclesiæ petram ac fundamentum esse tantum abest, ut id usquam Scriptura dicat, ut contrarium eius apertè doceat, cùm Ecclesiam Apostolorum & Prophetarum fundamento superædificatam dicat Ephes. 2. cùm æqualiter duodecim Apostolos totidem Ecclesiæ fundamenta vocat Apoc. 20. Sed huic argumento peculiaris à nobis destinatur tractatus. Atque hæc sunt crimina, quæ Casaubono primus tuus objicit liber.

JAC.

IAC. CAPPELLI VINDICIARUM,

PRO

ISA. CASAVBONO

LIBER III

ADVERSUS SECUNDUM LIBRUM ANDREÆ EVDÆMONOIOHANNIS.

Caput I.

CHRISTI GENEALOGIA, PSEUDEPIGRAPHA HILLEL.

LIbro secundo profiteris te velle probare, Casaubonum *non modo Theologiæ prorsus expertem, sed nequam etiam, neq; satis eruditum Grammaticum eum hominem fuisse.* Mihi contra satis est docere quam invalidis argumentis labefactare coneris causam, cuius patrocinium suscepit Casaubonus. Personæ patrocinium non suscipimus. Nam, nec si quo vitio laboret patronus, id causæ debet esse fraudi, & ea scriptorum Casaubonianorum est eruditio, synceritas, soliditas, ut eorum vel sola lectio sufficiat difflandis omnibus istis convitiorum portentis, quibus eum obruere cogitas.

Quia tamen adspergis quædam, quæ nostrarum Ecclesiarum causam aut historiam ecclesiasticam, non minus quàm Casauboni personam spectant, age summa secundi quoque libri tui capita percurramus.

p. 110. ea fere repetis, quæ primo libro de Justino, de Jacobi testimonio dixeras.

p. 111. Hieronymum opponis Casaubono dicentem: *Super διαφωνία, quæ videtur esse in genealogia Domini Salvatoris apud Matthæum & Lucam, ab Africano plenißimè disputari*, cùm Casaubonus Africani judicium nec in huius genealogiæ enarratione, nec in Jacobei vaticinii explicatione magni faciat: Imprimis pag. 112. damnas Casaubonum, quod dicat exercit. 15. §. 7. Africanum quin & Epiphanium *levibus auditiunculis nescio unde acceptis facile nimis aliquando fidem habuisse*, & exercit. 1. §. 10. *Solenne fuisse primis Ecclesiæ temporibus bono fine libros falsos edere.* & p. 731. *verita-*A *tem cœlestem figmentis suis ire adjutum.* Nempe finem hunc aut quærebant, aut prætexebant librorum falsos titulos præferentium & fabularum authores. Plurimos autem etiam tribus prioribus Ecclesiæ Christianæ seculis hoc fingendi vitio laborasse, non temerè Casaubonus affirmat. Specimen exhibebit examen controversiæ de genealogiâ Christi. Specimen etiam exhibet Gelasius d. 15. c. *Sancta* rejiciens ut apocrypha, hoc est, ut pseude-B pigrapha multa, quibus fides à multis fuerat adhibita.

Africanus apud Eusebium l. 1. c. 6. narrat Mattanem, cuius meminit Matthæus c. 1. v. 15. genito Jacobo Josephi patre reliquis se Estam viduam, quæ postea nupsit Melchi, cuius meminit Lucas c. 3. v. 24. atque ex eo matrimonio natum Eli. Itaq; *Iacob*, inquit, *& Eli fratres uterini erant, quorum alter nempe Iacob fratris Eli sine liberis defuncti uxorem ex mandato legis accipiens genuit* C *Iosephum naturâ filium suum, secundum legis verò præceptum Eli filium.* Africani autoritas Eusebium, Chrysostomum, Victorem Antiochenum, Titum Bostren, veteres ac recentiores multos atq; in his Baronium impulit, ut his fidem adhiberent. Sed qui propiùs rem inspiciet, agnoscet Africano planum aliquem imposuisse. 1. quia Eli non est filius, sed pronepos τοῦ Melchi. 2. quia non uterinis, sed ὁμοπατρίοις sive germanis fratribus lex imperat, D ut frater fratris, sine liberis defuncti viduam ducat ad familiæ & parentelæ conservationem. Πατριᾶς autem tota ratio à patre pendet, non à matre. 3. Quorsum hæ genealogiæ, nisi ut discamus, Christum esse Davidis filium? Quod si uterque Evangelista Josephi genealogiam narrat, neuter Mariæ, quomodo nobis probabunt hæ genealogiæ, quod potissimum requiritur, nempe Mariam à Davide, atque adeò à Juda ortam? Certe Lege licuit Josepho, utut à Judâ orto, uxorem à Levi oriundam ducere. Fabro autem

Chrys. Math. hom. 1.

tem

tem non nisi regio sanguine cretam ducere, quænam lex jussit? Chrysostomus: [Chrys. in Mat. ho. 2.] οὐ μόνον ἀπὸ φυλῆς οὐκ ἐξῆν ἑτέρας, ἀλλ' οὐδ' ἀπὸ πατριᾶς ἑτέρας. Sic Theophilus Antiochenus: *Eam ut propinquã ducere cogebatur in uxorem.* At ubi tandem hoc jubet Dei lex? Hoc, inquit Casaubonus, [exercit. 5. 13.] lex imperat, non omnibus mulieribus, sed ταῖς ἐπικλήροις Numerorum ultimo. Recte. Sed quo jure dici poterit ἐπίκληρος, quæ οὐδὲ βῆμα ποδὸς ad filium potuit transmittere? Testatur ipse sibi tuguriolum, nidum, antrum nullum esse, ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ.

Huic nodo cuneum affingit Damascenus l. 4. c. 10. Vult enim Eli putatitium Josephi patrem, revera patruum, fuisse Melchi filium, Levi nepotem. Hunc autem Levi vult esse Pantheris patrem, Barpantheris avum, Joachimi proavum, B. Mariæ abavum, atque ita B. Virginis patrem Joachimum & Josephum vult ambos esse pronepotes Levi à Natane oriundi. Hîc quæro 1. quis veterum inter B. Mariæ majores Pantheras memoraverit? 2. quo jure nobis liceat B. Lucæ mendacium impingere? Certè, si Damasceno, si Africano credimus, non est dicendus Christus filius putatitius τοῦ Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Ματθὰτ, τοῦ Λευὶ, τοῦ Μελχὶ, τοῦ Ἰαννὰ, sed τοῦ Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Μελχὶ, τοῦ Λευὶ, &c. Sed ut hoc commentum grato aliquo condimento adspersum faciliùs fidem inveniret, addit Damascenus *Anna significat gratiam; Maria Dominam. Itaq; gratia omnium creatoris operum Dominam genuit.* Sic & liber Epiphanio inscriptus de laudibus S. Mariæ. *Mar* quidem Syris Dominum significat. Sed Domina nec Syris, nec Hebræis dicitur Maria. Ea Hebræis *Miriam*, Syris *Mariam* dicitur ab amaritudine afflictionum, non à dominio in creaturas. [Orig. contra Celsum l. 1 p. 25.] Pantheram Christi patrem vocant apud Origenem impuri quidam Sycophantæ. Cùm Epiphanius increpet adoratores B. Virginis, quis non videt illi falso tribui verba hæc? *Video Mariam ab Angelis adorari.*

Aliquanto minus est suspectum Episcopi Portnensis Hippolythi testimonium, qui Paschalem computum scripsit A. D. 222. Is apud Nicephorum l. 2. c. 3. docet Barachiæ filios duos fuisse, Zacariam, Johannis Baptistæ patrem, & Aggæum patrem Salomes. Salomen Josepho nupsisse, & ex eo genuisse Jacobum, Simonem, Josem, Judam, qui Matthæi 13. dicuntur fratres Christi. Sorores Christi non nominat Scriptura, sed eæ fuerunt Hippolyto teste Thamar & Ester. Idem ait, Josepho post Salomes obitum nupsisse B. Mariam. Rursus. *Mattan*, inquit, *Sacerdos*, ex Mariâ genuit tres filias, Mariam obstetricis Salomes matrem, Sobam Elizabethæ matrem, Joannis Baptistæ aviam, & Annam uxorem Joachimi, B. Mariæ matrem. Hæc Salome obstetrix dicitur, ut distinguatur ab alterâ, quæ Josepho nupsit. Hæc confirmantur autoritate Origenis in Matthæum c. 13. Eusebii l. 2. c. 1. Epiphanii, Gregorii Nysseni de resurrectione Christi art. 2. Joannis Chrysostomi de annuntiatione Virginis, Euthymii in Matthæum c. 2. Theophylacti in Matth. c. 27. Hilarii in Matth. c. 1. & Ambrosii in Galatas c. 1.

Hæc, inquit Baronius, *apocrypha sunt, utpote ex Pseudevangelio Petri desumpta, teste Origine.* Sanè Origenes in Matthæi c. 13. ait, tale quidpiam narrari in Evangelio, quod dicitur Petri. Sed non ideò id falsi damnat Origenes, aut falsum esse necesse est. Ecquis enim ita mentitur, ut non aliquid veri suis mendaciis admisceat? At Hieronymus contendit Josephum non fuisse digamum. Sanè. Sed Hieronymus & secundis & primis nuptiis iniquior, cuiuscunque conjugium aut liberos non memorat Scriptura, hunc cœlibem fuisse contendit. Nihil autem mirum, si sui nominis autoritate multos in sententiam suam pertraxit. Magis me movet Isaacus Casaubonus tam solidi judicii

quàm syncerae pietatis vir. Is exercit. 1. §. 17. *Quod*, inquit, *sequitur apud eundem falso creditum Hippolytum vixisse Mattanem & Mariam sub Cleopatra & Casoparis Persa regno, quis sanæ mentis legere poterit sine risu?* Sanè nec Persæ tunc rerum potiebantur, nec Casopar ullus memoratur huic seculo conveniens. Sed potest hîc esse mendum, ut dicas Mariam B. Virginis aviam Mattani nupsisse regnantibus in Ægypto quidem Cleopatrâ, in Perside verò sive Parthiâ Pacoro, de quo dicimus anno V.C. 714. Mattanem autem quem Matthæus Josephi avum esse dicit, hunc meritò negat Casaubonus esse Sacerdotem. Utut sit, si liber hic Hippolyti nomen falsò præfert, hoc ipsum confirmat id, quod Casaubonus ait, & plurimos hujusmodi fabulas finxisse, & multos veterum hujusmodi fabulis faciliùs quàm par fuisset, fidem accommodasse.

Librum, qui *Gale Razeja* inscribitur, supposititium esse contendit Baronius. Hunc videre mihi nondum licuit. Tamen ex his, quæ citantur à Galatino, Baronio, aliis, constat, absurdè memorari Consulem Antoninum ante Christi adventum.

Utut sit, huius libri autor inducit aliquem ante Christum ea vaticinantem, quæ ipse contigisse pridem sciebat. Is ergo in suo *Gale Razeia*, hoc est, revelatione arcanorum: *Heli*, inquit, *idem est, quod Ioakim. Sceptrum Iudæ descendet ex domo Zerubabelis filii Sealtielis, sicut scriptum est Zacariæ c. 4 v. 7 Quis tu es, ô mons magne, adversans Zorobabeli, solo æquaberis: Ille autem educet lapidem primarium populo confragosis clamoribus acclamante, Gratia, gratia ei.* Templi fundamenta pridem jacta erant, primarii lapides educti, compositi: Quamobrem ex his verbis Jonathan Uzielis filius, & author libri, qui *Gale Razeia* inscribitur, petram hanc interpretantur Christum, eumque à Zorobabele oriturum colligunt ex his Zacariæ verbis. Cùm tam adversis pugnantia multa de Christi genealogiâ scripserint veteres, hinc liquidò constat, quàm circumspecto examine opus habeant etiam quæ apud veteres, apud multos veteres leguntur. In hac autem tam perplexa quæstione videamus quidnam probabiliùs dici possit. Nos igitur credimus à Matthæo Josephi, à Luca Mariæ genealogiam describi. Utrumque à Zorobabele Salathielis filio ortum esse, Salathielem esse filium Neri, sed à Matthæo dici Jechoniæ filium, quia fuit Jechoniæ hæres, cùm alioqui Jechonias teste Jeremiâ c. 22. *Thariri* mortuus sit. LXX. interpretes perperam vertunt ἐκκήρυκτον. Ambrosius in Lucam c. 3. *abdicatum*. Melius à vetere interprete vertitur *sterilis*. A Tertulliano in Marcionem l. 4. c. 50. *illiberis*. Sic Geneseos 15, 2. Levitici 20, 2. 21. *Thariri* est orbus, ἄπαις. Eodem igitur modo à Matthæo Salathiel, quo 1. Chron. 3, 16. Sedekias, dicitur Jechoniæ filius. Sic Joram à Matthæo dicitur genuisse Oziam, cùm tamen Joram sit Oziæ abavus, non pater. Sic Josias genuisse dicitur Jechoniam, cum tamen Jechonias sit Josiæ nepos, non filius. Quanquam eo loci Maldonatus credit esse potius mendum librarii, quàm schema dictionis. Certè series τεσσαρεσκαιδεκάδων postulare videtur, ut dicamus Matthæum scripsisse, ut quidem codices vetusti habent: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακείμ. Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν, &c. i. e. *Iosias genuit Ioakim. Ioakim a. genuit Iechoniā.*

Quas p. 112. vomis in Calvinum calumnias authore Bolseco putidiores sunt, quàm ut refutationis indigeant. Fatemur *ab eâ insaniâ*, quæ pias fraudes commendat, *procul abfuisse veterem Ecclesiam*, hoc est, Apostolicam, sed sub ipsis Apostolis non defuerunt, qui literas & mandata Apostolorum nomine comminiscerentur, ut colligitur ex 2. Thess. 2, 1. Impietati quidem militabant illi, sed pietatis tamen obtentu fraudes istas adornabant. Sic qui

qui nomen Eſdræ mentitus ſcripſit librum, qui vulgo dicitur quartus Eſdræ, cum memoret Domitiani mortem, nec ſuos ultra prophetias extendat paulò poſt Domitiani mortem ſcripſiſſe videtur. Is Chriſtianus fuit, nec apparet cauſa, cur Eſdræ nomen mentitus ſit, niſi ut authoritate tanti Prophetæ, Chriſtianam religionem commendabiliorem redderet, imprimis apud Judæos Helleniſtas populares ſuos. Hunc quotus quiſque veterum falſi damnavit? quam multi ſub Eſdræ nomine citant? An non etiam omnium tacito quodam conſenſu Scripturis canonicis immixtus eſt, idque nulla præeunte diſertâ monitione nec Canonicum eſſe, nec ab Eſdra conſcriptum. Vel hoc unum exemplum docere te debuit non eſſe, quod p. 113. Caſaubonum damnes, dicentem, *ſe Patrum judicia ſatis mirari non poſſe, qui ejuſmodi ſcripta tanta facilitate receperunt, ut ad fulciendam cœleſtis veritatis auctoritatem teſtimonia ex illis proferre non dubitarent*. Ut eos excuſes eundem errorem Apoſtolis affingis. *Iudas*, inquis, *Michaelis Archangeli atq; Diaboli ſuper Moyſi corpore altercationem atq; Henochi vaticinium quoddam memorat, quorum neutrum in genuinis veteris teſtamenti Scriptoribus legitur*. An hinc ſequitur hæc ex eo libro petita qui præfert Henochi nomen? An non hac occaſione potuit impoſtor aliquis Henochi nomine librum Eccleſiis obtrudere, idque non multò poſt Judæ tempora?

Abſit, ut vel Judam è canone deturbemus, quem omnes Eccleſiæ reformatæ, tam in Germania, quàm in Gallia canonicum agnoſcunt, quidquid privatim de eo ſenſerint quidam: abſit viciſſim, ut ex libris propheticam autoritatem ſibi falsò vindicantibus quidquam ad fidei confirmationem mutuatos dicamus Apoſtolos. *Hieronymus*, inquis, *ad Titum cap. 1. & Auguſtinus de civitate Dei lib. XV. c. 23. & l. 18. c. 38. hæc ita interpretantur, ut dicant in apocryphis etiam eſſe aliquid veri*. Quid? an non &

A Plinius ait nullum librum tam malum eſſe, ex quo non aliquid boni poſſit elici? Num continuò proferetur ad fidei Chriſtianæ dogmata confirmanda? Quidquid eſt extra canonem, apocryphum dici poteſt. Sed apocryphum, ſi ſumas pro pſeudepigrapho, ſi quis Apoſtolorum pſeudepigrapha Barnabæ, Petri, &c. Evangelia laudaſſet, ſi quod ex iis teſtimonium produxiſſet, an non errorem ſimplicium foviſſet, ὑποβολέων imposturæ fa-

B viſſet, aut erroris ipſe manifeſtus fuiſſet? Nihil horum poteſt Apoſtolis ſine ſacrilegio tribui: Ultimum cuivis doctori poteſt. Hieronymi verba repetens eum ab errore non liberas: *Duas domos*, inquit in Iſaiæ c. 8. *Nazaræi familias interpretantur Sammai & Hillel, ex quibus orti ſunt Scribæ & Phariſæi, quorum ſuſcepit Scholam Akibas*. Omnino dicere debuit Hieronymus, *ex quibus ortos dicunt Scribas & Phariſæos*. Alioqui quis non credat Hieronymum

C hac in parte fidem Nazaræis accommodaſſe? Immeritò quoque Caſaubonum damnas, quod adverſus Hieronymum contendat Hillelem, cum per *He*, non per *Chet* ſcribatur à laude, non à prophanatione nomen accepiſſe.

Quibus literis, inquis p. 114. *conſequentibus ſeculis nomen Hillelis ſcripſerint Iudæi, aut etiam nunc ſcribant Hebræi, neq; divinare Hieronymus potuit, neq; verò etiamſi divinare potuiſſet, magnoperè laborare debuit*. At du-

D centis annis Hieronymo vetuſtiores ſunt Judæorum Pandectæ, quas *Miſnajoth* vocant. Harum tomo ſecundo f. 66. Venetæ editionis A. D. 1606. tractatu de capitulis Patrum cap. 1. §. 12. legitur. *Hillel & Sammai acceperunt ab illis. Hillel dixit*, &c. In iis Pandectis paſſim memorantur Hillelis & Sameæ Scholæ, ſententiæ, diſſenſiones. Hieronymus huius libri titulum audivit, & δευτερώσεις vertit. Librum ipſum à ſe lectum nuſquam profitetur. Ne illud quidem uſquam ait Hieronymus Hillelis nomen ſibi viſum Hebraicè ſcri-

ptum. Sed quem profanum ſciebat, maluit à profanatione quàm à laude nuncupare.

p. 114. Caſaubonum damnas, quod exercit. 1. c. 21. Damaſcenum mendaciorum pleniſſimum vocet. Quidni vocet, cùm Damaſcenus palam idololatriæ patrocinium ſuſcipere non ſit verecundatus? Quem Deo non pudet obſtrepere, ne mentiri quidem pudet. De eo jam ſupra in Rosweydum tab. 3. Cùm ne tu quidem negare poſſis, apud Nicephorum & Suidam multa falſa pro veris narrari, quid ſuccenſes Caſaubono monenti quid ab iis ſit ſperandum, cùm tu Euſebium, quo vix ullus luculentiùs Nicenam Synodum laudavit, audeas p. 115. ut *Arianum, & ſolo nomine, Chriſtianum*, traducere?

Caput II.

ΦΑΝΗΤΙΑΝ: ΒΑΣΙΛΙΚΟΣ: AVTHORITAS SUMMI JUDÆORUM PONTIFICIS: JUDÆORUM SYNEDRIA.

CAp. 2. Dum Caſauboni Grammaticam rides, doces te ne Grammaticum quidem eſſe. Is exercit. 1. c. 3. docuerat eruditè, quid ſit φανητιᾷν, nempe per oſtentationem aliquid facere, cùm Rufinus perperam verterit *ſtudio tanti ſeminis demonſtrandi*. Hîc tu. *Quid ſi legendum ſit* φανητιοῶντες? *Certè & in Lexicis, hunc ipſum Euſebii locum ita laudatum reperies: nec aliter fortaſſe legerunt Ambroſius ac Ruffinus. Nam* φανητιοῶ *eſſet illuſtrare, patefacere.*

At priùs tibi demonſtrandum eſſet, non Lexici, non Stephani, ſed Græci probæ notæ ſcriptoris autoritate vocem φανητιοῶ eſſe Græcam. An eam hodie Cretenſes uſurpent, tu videris. A veteribus, uſurpatam tum demum credidero, cùm tu teſtibus idoneis id probaveris. Videlicet cùm Stephano nec φανητιᾷν, nec φανιτιοῶ uſquam occurriſſet, unum Bu-

A dæum laudavit, docentem quid ſit φανητιᾷν. Cæterum dixit ſe legiſſe φανητιοῶντες apud Euſebium. Legerit, mendosè legit. Caſaubonus ſoceri ſui nomini meritò pepercit. Ipſius Lexico quod deerat, luculentiſſimè ſupplevit, & eruditiſſimè probavit. Tu patrocinium ignorantiæ tuæ non aliunde quàm à Lexicorum vitio vel defectu quærere potuiſti.

p. 119. Caſaubonum impoſturæ damnas, quod in vertendo Chryſoſtomo B Trapezontium non ſit ſecutus. Judicent periti lectores, uter fideliùs verterit. Chryſoſtomus ait in Matth. 16. hom. 55. τί ποτε τοῦτό ἐστιν; ὁ ἀποκαλύψεως τυχὼν, ὁ μακαρισθεὶς. οὕτος οὕτω ταχέως διέπεσε καὶ ἐσφάλη ὡς φοβηθῆναι τὸ πάθος. Trapezontius: *Quidnam ô Petre? hoc eſt, tu qui revelationem deſuper habuiſti, qui beatificationem conſecutus es, cui claves cœlorum traditæ, tam graviter adeo lapſus cecidiſti, ut paſſionem pertimueris?* Caſaubonus. *Ille qui revelationem* C *fuerat conſecutus, qui fuerat beatus prædicatus, hic adeò celeriter excidit & lapſus eſt, ut metueretur illius caſus.* Hîc tu. *Quod lapſum dicere maluit quàm deceptum, eò nimirum ſpectat, ne ſatis poſſet intelligi excidiſſe, ne eum à juſtitiâ, quod peccarit, an à veritate, quod hallucinatus ſit, eo loco Chryſoſtomus diceret. Quod verò ſubjecit,* ut metueretur illius caſus, *cùm dicere debuerit,* ut paſſionem metueret, *id verò apertiſſimum eſt, ac digna quinto Evangelio impoſtura.* Atqui Trapezontius ipſe vertit D *lapſum*, & verbum ἐσφάλη id ſignificat, & antecedens verbum διέπεσεν, ac res ipſa Chryſoſtomi mentem demonſtrat. Quid enim an ſimpliciter hallucinato dixiſſet Chriſtus: *Apage*, vel *vade poſt me Satana*? Verbum autem φοβηθῆναι, paſſivè potiùs quam activè ſumendum agnoſcunt, quibus eſt aliquis literarum Græcarum guſtus, quidquid infra reperas auctore Caryophilo p. 133. Novum Evangelium à Franciſcanis olim conditum, à noſtris nullum.

p. 119. Rurſus peritiæ tuæ ſpecimen

edis.

edis. Joh. 4, 46. Christum adit quidam βασιλικός. Cur ita vocaretur, hanc causam reddit Chrysostomus: ἤτοι τοῦ γένους ὢν τοῦ βασιλικοῦ ἢ ἀξίωμά τι ἀρχῆς ἕτερον οὕτω καλούμενον ἔχων. Fr. Aretinus ita vertit: *sive quod regio esset genere, sive quod alia principatus dignitate fungeretur, regulus appellabatur*. Casaubonus censet sic potiùs vertendum fuisse, *vel quod aliâ à principatu dignitate fungeretur*, & meritò sic censuisse judicabunt docti, teque, qui Casaubonum hoc nomine imposturæ damnas iniquitatis accusabunt. Casauboni versioni favet Maldonatus. *Credo*, inquit, *nostrum interpretem legisse βασιλίσκος, Regulus, Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius regium vocari putant, aut quia ex regis Herodis, alteriusve regis erat genere, vel quod regium aliquod officium haberet, quam secundam rationem Origenes etiam affert. Addit & aliam, quam probabilem etiam existimat, ministrum aliquem fuisse Cæsaris*. Hinc quoque constat, non minus olim quàm hodie codices Græcos constanter legisse βασιλικός. Arabs quoque vertens *malcion* docet se legisse βασιλικός. Syrius vertit *ministrum regis*. Hîc cùm neget Casaubonus βασιλίσκον apud veteres Græcos sumi pro dynasta, Caryophilum inducis p. 133 dicentem: *futile est ad Græcos priscæ ætatis provocare, quasi posteriores Græcis multas Romanas voces non usurpaverint*. Usurparunt sanè, jamque sub Apostolis usurpabant, ut κῆνσος, φραγέλλιον, δηνάριον, κουστωδία. Sed βασιλίσκος non est vox Romana, & docendum esset eo quo scribebant Apostoli seculo, jam in usu fuisse vocem βασιλίσκος pro parvo rege vel dynasta.

Quod p. 122. putas Casaubonum exercit. XV. cap. 8. studio partium extenuare summi Judæorum Pontificis authoritatem, falleris. Nam cùm nusquam Deus jusserit, ut Petrus in Apostolos reliquos, dein Romanus Episcopus in omnes alios Episcopos eandem habeat potestatem, quam olim summus Judæorum sacerdos

A in reliquos sacerdotes, quæcunque tandem fuerit Judæorum Pontificis auctoritas, ea ne hilum quidem Romano præsuli confert. Sed cùm id ad antiquitatis ecclesiasticæ cognitionem pertineat, age videamus, quænam fuerit illa potestas. Josephus adversus Appionem l. 2. τίς ἂν καλλίων ἢ δικαιοτέρα (κατάστασις) γένοιτο τῆς θεὸν μὲν ἡγεμόνα τῶν ὅλων πεποιημένης; τοῖς ἱερεῦσι δὲ κοινῇ μὲν τὰ μέγιστα διοικεῖν ἐπιτρεπούσης; τῷ δὲ τῶν πάντων ἀρχιερεῖ πάλιν

B αὖ πεπιστευκυίας τὴν τῶν ἄλλων ἱερέων ἡγεμονίαν; Gelenius sic vertit: *Quæ poterit esse melior atque justior constitutio, quàm ea quæ Deum quidem principem omnium esse confirmat? Sacerdotibus autem in communi quidem res præcipuas dispensare permittit, summo verò pontifici aliorum sacerdotum principatum competenter injungit?* Sed certè meliùs ita vertisset Gelenius. *Sacerdotibus autem de communi quidem sententia res maximas*, &c. Josephus τὰ μέγιστα, *res maximas* vocat res

C sacras, quarum ἡγεμονίαν, principatum ita summo sacerdoti commisit Deus, ut tamen de communi sententiâ reliquorum sacerdotium dispensarentur. Hinc est, quod Casaubonus affirmat summum illum sacerdotem *primum quidem inter reliquos sacerdotes locum obtinuisse, sed nullam Hildebrandrinæ similem monarchiam*, puta *quod illi liceat Imperatores deponere, quod à nemine indicari debeat, quod absque Synodali conventu possit Episcopos deponere*, ut de se, de quovis

D Papa prædicat Gregorius VII. apud Baronium A. D. 1076. §. 32. 33.

Ut ea quæ Casaubonus eruditè monuerat de Synedriorum Judaicorum jure confutes, sic argumentaris p. 124. *Si aliis sacerdotibus præerat Pontifex, aliis de rebus summis constituendi potestas tributa erat, non bene dixisset Iosephus vicissim sacerdotes paruisse. Aut ergo sacerdotum nomine, qui summæ Reip. præerant, Synedrium non intelligit, aut Synedrii caput Pontificem facit.*

Omnino summus Pontifex erat caput Synedrii sacerdotalis, sed illud Syne-

rum

drium præerat rebus saccerdotalibus ad sacrificiorum, templi, ceremoniarum sacrarum œconomiam pertinentibus, quas Josephus meritò vocat maximas: Summæ verò Reip. præerat Rex, & secundum Regem princeps LXX. viralis Synedrii, q proprie NASI dicebatur, ut eruditè demonstrat Casaubonus. Sed quia ritus hui⁹ Judaici summam proposuisse contentus authorum, ex quibus hæc mutuatus fuerat, verba non expressit, age proponantur ipsa Pandectarum Judaicarum verba.

JUDÆORUM SYNEDRIA.

MIsnajoth tomo 2. fol. 205. tractatu de Synedrio cap. XI. §. 2. *Tres domus judiciorum*, tria Synedria *erant ibi* Hierosolymis. *Prima sedes erat ad portam templi, secunda sedes erat ad portam atrii. Tertia sedes erat ad cubiculum Cæsii lapidis. Id erat magnum judicium, quia inde prodibat lex toti Israeli.* Ibidem fol. 195. cap. 1. §. 5. 6. *Iudicia pecuniaria à triumviris, judicia capitalia à* XXIII. *viris* judicabantur. *Synedrium magnum erat* LXXI. *virorum*. Judicia pecuniaria dicebantur etiam דיני פזרות *judicia decisionum*. Misnaioth tom. 1. fol. 135. in tractatu *cetubot* cap. 13. §. 1. *Duo judices Decisionum* insignes *fuerunt Hierosolymis, Admon & Chanan Absalomi filius. Chanan dixit duo verba, Admon septem* insignia videlicet. *Profectus quis fuerat in provinciam transmarinam: Vxor eius rogat alimenta. Chanan dixit, Iurabit fine, non iurabit initio.* Cùm instar viduæ censeatur, postulat ut alimenta sibi præbeantur, donec ipsi dos persoluta fuerit, profiteturque se domo nihil extulisse. Id jurejurando confirmare non tenetur, inquiebat Chanan, nisi cùm absoluta fuerit illi dotis persolutio. *Disceptarunt super eo filii sacerdotum magnorum, dixeruntq; iurabit initio, non iurabit in fine. Horum sententiam confirmavit R. Dosa Hyrcani F. Dixit verò R. Iohannes Zacai F. Pulchrè dixit Chanan, non iurabit nisi sub finem.* In hæc

A verba Scholiastes ait: *Iudicia decisionum ea dici, quæ de rapinis earumq; mulctis decidunt.* Filii verò magnorum Sacerdotum dici videntur ii, ex quibus constat Synedrium Sacerdotum, de quibus eiusdem tractatus cap. 1. §. 5. fol. 126. dicitur. *Filia Synedrii sacerdotum, si virgo sit, dantur in dotem quadringenta zuza.* Cùm essent viginti quatuor familiæ sacerdotales, cuiusque princeps erat aliquo modo sacerdos magnus. Hinc est quod ἀρχιερέες multi passim in
B Evangelio nominantur. Igitur hoc Synedrium erat XXIII. virale præter principem Synedrii, qui seligebatur ex primâ familia sacerdotali. A Synedrio decisionum provocatio fiebat ad Synedrium sacerdotale. Hinc est, quod Synedrium sacerdotale, discepta de Synedrii decisionum sententia à Chanane latâ, quam damnasset Synedrium sacerdotale, nisi Johannes Zacæi F. intercessisset. Talmudis tractatu de Synedrio cap. X. fol. 88. b.
C *Olim non multiplicabantur in Israele controversiæ, sed decidebantur à domo iudicii* LXXI. *virali, cuius sedes erat in cubiculo Cæsii lapidis, vel à duabus domibus iudiciorum* XXIII. *viralibus, quarum sedes erant unius iuxta templi portam, alterius iuxta portam atrii. Reliquæ domus iudiciorum* XXIII. *virales sedes habebant in singulis urbibus Israelis.* Triumviralium Synedriorum, ut nimis exiguorum rationem hîc non habuit Talmud. Sed alibi docet in minimis quidem pagis
D fuisse tantum triumviralia Synedria, in plerisque civitatibus duo, triumvirale scilicet & XXIII. virale. Hierosolymis unum LXX. virale, duo XXIII. viralia, nempe Synedrium decisionum civilium & Synedrium Sacerdotum. Talmudis Tomo XII. Tractatu qui *Pirkeabot*, hoc est, *Capitula patrum* inscribitur cap. 1. recensentur Doctorum paria quinque, qui floruerunt ab anno Seleucidarum quinquagesimo, vel circiter ad annum usque Seleucidarum 320. Christi nonum. De Syzygiis illis agunt Abraham Zacut in libro

libro Juchasim fol. 16. & R. David Ganaz Germinis parte prima A. M. 3500. *In iis*, inquit Ganaz, Syzygiis *prior erat* NASI, *secundus erat* אבבד *pater magni Synedrii & Princeps Academiæ. Hic autem Nasi erat* נשיאהשם *Princeps Dei, non autem Princeps jure familiæ, quales erant Principes domus Davidicæ.* Hinc colligimus in Synedrio magno quatuor fuisse viros authoritate præcipuos, 1. erat NASI propriè dictus, hoc est, Princeps. 2. AB propriè dictus, hoc est, Pater. 3. NASI, honoris causâ dictus. 4. AB honoris causâ dictus, quomodo Abraham ab Hettæis dicitur Genes. 23, 5. נשיא אלהים *Princeps Dei*, hoc est, honoris causâ dictus. NASI, sive Princeps propriè dictus ante templi subversionem eligebatur ex Davidis posteris, ut subinnuit hîc Ganaz, & alibi clariùs docet A. M. 3728. *Hierosolymis*, inquit, *mos erat, quamvis regnum esset penes Asamonæos, ac deinde penes Herodis familiam, ecce* NASI *semper erat ex domo Davidis. Rex præerat bello, rebusq; regni: Lex, statuta, judicia ex præscripto summi Pontificis &* NASI *exercebantur.* AB igitur propriè dictus erat tum summus sacerdos. Post templi verò subversionem obtinuit, quod ait R. Moses Cutsiacensis affirmativo mandato XCII. *Non constituitur in Synedrio senex decrepitus, nec eunuchus, quia crudelitas inest illi, nec illiberis, ut sit misericors, nec Rex Israelis, quia non licet adversus Regem contendere, sed constituitur*, hoc est, præficitur Synedrio *Sacerdos summus, si sit illi satis sapientiæ.* Et priora quidem illa semper forsan obtinuerunt. Posteriùs membrum, si Ganazo credimus, post templi demum eversionem, quod antea semper ex Davidis posteris esset eligendus Synedrii Princeps. Ibidem Cutsiacensis. *Iudices*, inquit, *dicuntur, qui terminant lites*, שוטרים *dominatores verò, qui dominium exercent in populum baculo & subula. Maximus omnium judicum dicebatur* נשיא מופלא NASI & MUPHLA. *Stabit is loco Mosis Domini nostri, cui adstabant* A

LXX. sapientes, ex quibus prodierunt Synedri totidem. *Præterea stabant coram Synedrio duo scribæ judicum, unus ad dextram, alter ad sinistram. Vnus scribebat absolventium verba, alter scribebat verba condemnantium. Adstabant & duo* חזנים *lictores, duo* בעלידינים *patroni, duo testes, duo* צרמטים *carnifices, & duo* אבאי צרקח *exactores eleemosynæ. Vrbs, in qua non erant viri CXX. habebat triumviros. Non adsciscebantur autem ad Synedrium magnum, nec parum nisi Sacerdotes aut Levitæ, aut Israe-* B *litæ digni, qui filias suas sacerdotibus elocent. Expertes erant corporeæ labis, præditi sapientiâ, opibus & arte Magicâ, ut incantationes possent irritas reddere. Sciebant linguas LXX.* non singuli, sed universi, *ut Synedrium interprete non haberet opus.* Hæc Judæi de majorum suorum Synedriis. Tempore, quo Johannes Baptista, dein Christus in terris prædicarunt, Synedrii magni NASI princeps erat Annas. AB sive pater erat Caiphas. Uterque dicebatur Ἀρχιερεύς. C

Caput III.

SUIDÆ LOCUS, ἈΦΑΝΙ'ΖΕΙΝ.

HActenus quid in Græcis tuâ Minervâ possis infeliciter expertus jam cap. 3. Joh. Matthæi Caryophili tui popularis exangues aliquot in Casaubonianas exercitationes notas nobis obtrudis, D ut quem manu tuâ lædere non potes, saltem alienâ ferias. Sed vix quidquam habet hoc caput tertium, nisi crambem à te jam terque quaterque recoctam de Jacobæi vaticinii sensu, de Christi genealogia, de voto virginis.

p. 130. quod Caryophilus ait ante Chrysostomum natalem Christi XXV. Decembris celebrari solitum, & id authoritate Gregorii Nazianzeni confirmat, non negamus, quanquam Nazianzenus γενεθλίων quidem meminit, Decembris non meminit, sed videat Caryophilus, an

eius sententiæ vestigium aliquod extet in genuinis veterum scriptis ante A. D. 360. p. 130. *In civitatibus*, inquit, *insulæ Cretæ, dum Episcopus Latinus solenniter celebrat in insignioribus festivitatibus simili more priùs Latinè, deinde Græcè canitur Epistola & Evangelium, & persuasissimum est Græcis tam Schismaticis quàm Catholicis hoc fieri, non, ut ne parum intellectum maneat populo, quidquid est recitatum linguâ non omnibus notâ, ut de suo capite profert Casaubonus, sed & unio ecclesiæ Orientalis & Occidentalis significetur, & Rom. Pont. unum ecclesiæ Catholicæ caput agnoscatur.* & infra. *Certè neq; in Capella Pontificia propter Græcos Græcè recitatur Evangelium, ubi plerunq; nullus adest Græcus, neq; in Creta pariter propter Græcos idem observatur.* Hinc quis colligat linguam Græcam haud multò notiorem esse in Cretâ quàm in capellâ Pontificiâ. Utut sit, quod ignotâ linguâ celebrantur mysteria, Latinâ videlicet in iis Ecclesiis, quas sibi subjecit Papa, fecit id omnino testificandæ, confirmandæve suæ potestatis ergo. Quod autem in Ephesino, Chalcedonensique concilio literæ Pontificiæ primùm Latinè recitatæ sunt, fecit id ambitiosa Sedis Rom. vanitas, quod eædem postea Græcè recitatæ sunt, fecit id necessitas, quod adstantium pleriq; latinè non intelligerent.

p. 134. *Suidæ locus*, inquit, *restituendus est ex antiquo manuscripto*? At unde nam, ex quanam Bibliotheca petita? Tu ne typis quidem editos libros Græcos in Italia reperiri quereris, nisi perpaucos in præfatione, & lib. 2. c. 2. p. 115. Sed fucus est, quod Lipsii conjecturæ debebat tuus Caryophilus, id suo manuscripto, probo scilicet & obedienti debere voluit. Suidæ locus ita legitur: φόρος, τὸ πωλητήριον, τόπος ἐν ᾧ πωλοῦνται τὰ ὤνια. Κάτωθεν τοῦ φόρου κεχωσμένοι ὑπῆρχον δύο στραπηγοὶ τῶν δύο λῃστῶν, καὶ βικίον μύρου ὃ ἠλείψατο ὁ χριστὸς. καὶ πολλὰ ἕτερα σημειοφορικά, τεθέντα μὲν παρὰ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου, ἀφανισθέντα δὲ ὑπὸ τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου. Pro

A στρατηγοὶ Lipsius legit σταυροὶ, probabiliter sanè, sicque vertit: *Infra forum*, Constantinopolitanum scilicet, *defossæ erant duæ cruces duorum latronum, & vasculum unguenti, quo Christus unctus fuit, & alia multa insignia, posita quidem à Constantino, sublata verò sub Theodosio Magno.* Casaubonus pro *sublata* legit *deleta*, quod tibi p. 120. tuoque Caryophilo p. 134. plurimùm displicet, & Lexici tui (nam ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum) auctoritate probas ἀφανί-
B ζειν significare *condo, occulto*, quod Aristophanes in Pluto dicat: ὁ δὲ Θεὸς ἠφάνισεν ἑαυτὸν ὡς ὄφις εἰς τὸν ναόν. Ego te juvabo. Idem Aristophanes in Nubibus: Τύπτε τὸν πατέρ᾽, ἀφανίζων πονηρὰ σκώμματα. Eo loci Scholiastes interpretatur: ἀφανίζων, ἀφανεῖς ποιῶν, τουτέστι περικαλύπτων τῷ γέλωτι. Sed nulla necessitate. Nam qui τύπτει σκώπτων, huius mens est ἀφανίζειν, abolere scommata. Quin & eo ipso, quem tibi Stephani thesaurus suppeditavit, loco, τὸ
C ἠφάνησεν ἑαυτὸν idem significat, ac ἀφανὴς ἐγένετο. Sic & reliquiæ, quas Constantinus in foro Constantinopolitano condiderat, non fuerunt à Theodosio I. conditæ, non absconditæ, jam enim erant absconditæ, jam conditæ, κεχωσμέναι, sed sub illo comparere desierunt, quisquis tandem illas surripuerit aut aboleverit. Quod verò tuus Caryophylus in M.S. suo legi fingit ἀσφαλισθέντα, *tuto loco reposita*, quod huic fabulæ tam lubenter applaudis di-
D gnum est Cretensi fabulatore.

Caput IV.

An B. Virgo fuerit in Sancto Sanctorum Nutrita.

CAp. IV. Casaubonum ut calumniatorem traducis, quod interpretum, quibus utitur, vitia tribuat ipsi Baronio. Sed Casaubonum à tua criminatione liberat, quod toties profitetur, hæc esse qui-

quidem interpretum vitia, sed in adornando tantæ molis opere non debuisse Baronium interpretibus, qui subinde falllunt, aut falluntur, fidem adhibere.

p. 139. Verbosè repetis, quæ jam Rosweidus plus satis dilutè Casaubono objecerat tab. 3. cui semel respondisse satis est.

p. 140. Urit te, quod Nicephori l. 2. cap. 3. fabulam, quam Baronius apparatus §. 49. laudaverat, à Casaubono rejici videas, & hîc multa verba profundis, sed, quod palmarium est, omittis. Nicephorus sive suo, sive Evodii, cuius meminerat, nomine refert B Mariam, trimula cùm esset, in templum deductam & undecim annis, εἰς τὰ τῶν ἁγίων ἅγια in sancto sanctorum educatam. Atqui Samuelem quidem, utpote sacerdotalis generis in templo jam ab ipsâ legimus infantiâ nutritum, mulieri cuipiam id concessum nusquam legimus. Mulieribus quidem patebat in Dei domum laxo modo sumptam aditus, ut in eâ possent ætatem degere, si domus Dei complectatur ædes summi sacerdotis, in quibus sanè tum uxor, tum ipsius familia tota vivebat, ut patet exemplo Joiadæ 2. Reg. 11. & 2. Chr. 22. At si Dei domum, sive templum strictè, κυρίως, propriè sumas pro sacrificiorum & orationis domo, patebat mulieribus in templum aditus. Sed in unum atrium, quod certè puellarum alimoniæ commodum non erat. Inter atrium illud & ἅγια τῶν ἁγίων sancta sanctorum erat μέγα χάσμα. Sancta sanctorum ne Sacerdotibus quidem, nedum fœminis patebant, sed uni summo sacerdoti semel quotannis decimo Tisri die, qui dicebatur *cippurim* sive propitiationum, vel etiam autonomasticè *ioma*, quasi dicat, ἡ ἡμέρα, *dies illa*, de quo tractatus habetur *Misnaioth* tomo 1. Talmudis tomo 3. Cùm igitur á Vero tam aliena sit Nicephori narratio, quidni Casaubono licuerit eam ut fabulosam rejicere? Si tanquam ex

A epistolâ, quæ dicebatur Evodii, petitam eam refert Nicephorus, pseudepigrapham hanc epistolam fuisse, necessum est. Sed potuit Nicephorus ex Evodio quædam mutuatus reliqua de suo, undecunq; tandem illa petierit, adjecisse.

Caput V.

B

AVTHORITAS SCRIPTURÆ UNDE PENDEAT: MARIA MAGDALENA.

CAp. V. repetitiones tuas ut omittam, Casaubonum sugillas quod dicat p. 148. *Quos* protestantes *nihil æquè offendit in concilio Tridentino ac par honos tributus libris canonicis, apocryphis & non scriptis traditionibus,* Hîc tu p. 145. *Quid? cùm epistolas Iacobi ac Iudæ in canonem Calvinus recipit, quas rejicit Lutherus? aut cùm Apocalypsin veneratur, de cuius auctoritate Lutherus cum*
C *Centuriatoribus non leviter addubitat. Paremne etiam Genevensis Evangelista apocryphis honorem ac libris canonicis tribuit?* Non est eadem ratio. Nam de tribus illis libellis dubitarunt quidem quidam veteres, recentiores quidam tum inter vestros, tum inter nostros, Ecclesia tamen nulla neque vetus, neque nova, nec Germanica, nec Gallica sanxit hos tres libellos in apocryphorum classem esse rejiciendos, nulla cùm libros canonicos enumerat, vel typis
D edi curat, hos tres libros excludit à canone. Machabæorum autem & Juditham, Thobitique libros constanter à canone rejecerunt omnes Judæorum Ecclesiæ, non minus tum cùm Ecclesiam Dei constituebant, quàm ex quo desierunt esse populus Dei: ne Christianorum quidem Ecclesia, vel Synodus ulla cōparet, quæ receperit eos ante quadringentesimum annum Christi. Conpingebantur quidem illi cum canone, sed seorsim tamen à canone, ut hodieque fit ab Ecclesiis nostris. Primus Innocentius

A. D. 405. specie cujusdam ordinis, ut hi-
storicos historicis, gnomicos gnomicis
copularet apocryphos canonicis permi-
scuit, in quo licet Africana Synodus In-
nocentium videatur A. D. 419. secuta,
quin & deinceps reliquæ tum Orientis,
tum Occidentis ecclesiæ, quarum pleræ-
que permistionem illam admiserunt, ta-
men eo ipso quod non Innocentii, non
Africanæ Synodi canonem, sed Hierony-
mi prologos suis Bibliis præfigebant, aut
suis locis inserebant, satis testabantur sex
illos libros ita canonicis admisceri, ut ta-
men eos pro canonicis non magis habe-
rent, quàm Hieronymus & optimi qui-
que Patres, sive vetustiores, sive recentio-
res Hieronymo:

Quia negavit, inquis p. 146. *Scioppius
in dubitationibus fidei requirendum semper esse
testimonium Scripturæ, tantundem valere exi-
stimavit Casaubonus, ac si negasset Scioppius ad-
hiberi Scripturas in iis disputationibus oportere.*
Non hoc sibi persuasit Casaubonus. Scie-
bat enim vos non esse Mahometanos,
non Paganos, qui nullo loco, nullo nu-
mero Scripturas habeatis, scit à vobis pas-
sim adhiberi Scripturas: sed quod à Sciop-
pio fateris affirmatum, id à Casaubono
meritò damnatur. Nam etsi non sint exi-
gendæ voces ipsæ totidem apicibus, puta
Trinitatis, ὁμουσία, unionis hypostaticæ
vocabula, tamen ad horum dogmatum,
ad cuius jus dogmatis, quod jubes me ut
articulum fidei, ut necessarium ad salu-
tem credere, meritissimo jure requiritur
auctoritas eius, qui solus hanc conscien-
tiis necessitatem potest imponere, qui
verbum suum ideò scriptis consignari
voluit, *ut credamus in Filium Dei, & credendo
vitam æternam adipiscamur.* Joh. 21. & 23.
ut possint nos εἰς σωτηρίαν σοφίσαι. *reddere sa-
pientes ad salutem, ut homo Dei fiat* ἄρτιος
πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος *perfectus,
& ad omne bonum opus perfectè instructus.* 2.
Tim. 3. v. 15. & 17. Imprimis accusas p.
146. Casaubonum quod dicat *Pighium,*

A *sive alium quemvis patrum memoria dixisse
Scripturam, si auctoritate Ecclesiæ destituatur
non plus per se valere quàm fabulas Æsopi,
quod blasphemum dictum defendere ausus est
Cardinalis Hosius.* Tu p. 147. vis hanc esse
calumniam, cuius hanc esse vis occasio-
nem, quod Hosius in prolegomena Bren-
tii dicat: *Magna pars prolegomenorum Brentii
non aliunde constat, quàm è sannis, dicteriis, con-
vitiis, in quo sic etiam ludit Scripturis, sic eas tra-
ctat jocculariter, ut verè de ipso dici possit, quod*
B *venerabili viro Petro à Soto falsò impingit, eum
haud aliter Scripturis, quàm Æsopi fabulis uti.*
Si nihil graviùs dixit Hosius, erit hæc in
Brentium calumnia, non in Spiritũ S. bla-
sphemia. Ego Pighii, Hosii nihil habeo,
nec Hermanni, cui blasphemã hanc Scri-
pturæ cum Æsopi fabulis comparatio-
nem tribuentes viros magnos audivi. Sed
mihi satis est illa proponere, de quibus
mihi constat. Johannes Eckius locos
suos communes scribebat Ingolstadii
C A. D. 1527. Eos habeo Lutetiæ typis
editos A. D. 1572. Is fol. 8. *Objiciunt,*
inquit, *hæretici: Maior est authoritas Scripturæ
quàm Ecclesiæ. Nam Ecclesia debet regi secun-
dum Scripturam,* &c. Eckius contra 1.
Christus, inquit, *non scripsit aliquem librum,
nec præcepit discipulis vel Apostolis adscribendum,
at de ecclesia multa præcepit,* &c. 2. *Ecclesia
est antiquior scriptura,* &c. 3. *Scriptura non
est authentica sine authoritate Ecclesiæ: Scripto-
res enim canonici sunt membra Ecclesiæ.* Quò
D pertinent hæc, nisi ut probet Ecclesiæ
quàm Scripturæ majorem authoritatem
esse? Falsam atque adeò blasphemam
conclusionem non minus falsis præmissis
superstruit. Siquidem constat *totam Scri-
pturam esse divinitus inspiratam.* 2. Tim. 3.
Quod autem inspiratione Spiritus S. fit,
id Dei jussu fit. Deus autem, tam Eccle-
siâ, quàm Scripturâ μυριομυριάκις anti-
quior est. Apostoli, Prophetæ libros ca-
nonicos scripserunt, canonem Scripturæ
condiderunt, non ut Ecclesiæ membra;
sed ut à Deo præter ordinem ad Ecclesiam
dele-

delegati, huius legationis authoritate tum univerſa, tum ſingula totius Eccleſiæ membra diſertim obligarunt ad ſuſcipiendos illos libros, ut divinitus inſpiratos, alioqui perituros quotquot his auderent obloqui. Nicolaus de Cuſa, Cardinalis Bohemius, ſcribebat circa A. D. 1420. Huius opera Pariſiis edita A. D. 1514. habeo, quorum tom. 3. fol. 7. ep. 2. *Poßibile non eſt*, inquit, *Scripturam quamcunq; , ſive ipſa præceptum, ſive conſilium contineat, in eos qui apud Eccleſiam exiſtunt, plus auctoritatis ligandi habere, aut ſolvendi fideles, quàm ipſa Eccleſia voluerit, aut verbo aut opere expreſſerit.* Tu quid dicis? *Niſi conſtet*, inquis p. 147. *Deo auctore Scripturam exaratam eſſe, uſui eſſe non poteſt.* Videlicet non aliunde vis id conſtare, quàm ab Eccleſiæ teſtimonio. Item: *Si quis neget*, inquis, *plus in Scriptura quàm canonicam eſſe neſcit, quàm in Æſopicis fabulis plus utilitatis eſſe, non negat divinas eas eſſe literas.* Hæc impiè dici qui negat, hunc impium eſſe contendo.

Sic, quam inſtituit Bellarminus Scripturæ cum Alcorano, quod divinitus inſpiratum eſſe contendit, comparationem, quam tu propugnas, p. 148. hanc, ſat ſcio, deteſtabuntur omnes pii.

Huic quæſtioni peraffinis eſt ſequens, in qua Baronii ſententiam, ut probabiliorem reddas, ſic eum vis ratiocinari p. 149. *Si alia eſt Magdalena, cuius B. Iohannes meminit, alia mulier illa, quam Matthæus & Marcus memorant, cùm exceptis eruditorum nonnullis, utraq; unctio paßim ab omnibus toto orbe terrarum Mariæ ſorori Lazari tribuatur, ea etiam beneficti eius laudem ſine controverſia tulerit. Id autem niſi falſæ vaticinationis impiè damnare Deum velis, dici nulla ratione poteſt. Igitur ne hæc quidem ab illa muliere diſtingui ſeparariq; poteſt.* Demus hanc fuiſſe Baronii mentem, hanc vim ratiocinationis Baronianæ, non deſinet argumentum eſſe falſum, à Caſaubono meritò damnatum. Nam etiamſi Maria Magdalene, cuius mentio

A ſit Joh. 12, 3. non ſit eadem cum Mariâ, cuius mentio fit Joh. 11, 2. Matth. 26, 7. Marc. 14, 8. licet utraque diverſa ſit ab illâ, cuius mentio fit Luc. 7, 37. non deſinet tamen eſſe verum, quod dixit Chriſtus Matth. 26, 13. Marc. 14, 9. Nam omnino præclarum illud facinus prædicatur, ubicunq; prædicatur Evangelium, tum quod ubicunq; prædicatur Evangelium, etiam factum illud aliquando recitatur, ut fit apud nos, tum quod ſpeciatim huius facti
B mentionem ſpeciatim faciant Eccleſiæ, tum Latinæ, tum Græcę certis, & anniverſariis diebus, quibus, ſi mulieri, quæ ſic unxit Chriſtum, falſum cognomen detis, ut cùm illam Magdalenam nuncupatis, ſi quid illi tribuatis, quod ab alia factum recitatur Luc. 7, 37. Joh. 12, 3. non ideò deſinit eſſe vera Chriſti prædictio. Quod ex Matthæi 26. Joh. 11. narratis, verum eſt, quod in eandem aliunde congeritis, id erroris eſt veſtri. Inſtas: *Vbinam hîc Scri-*
C *pturarum fides pendens à Romanæ Eccleſiæ fide? Vbi omnino Romanæ Eccleſiæ nomen?* Quæ vos generatim de eccleſia dicitis, id à nobis ad Romanam meritò reſtringitur, quia parum intereſt veſtrâ, ſi conſtet Eccleſiam Pariſinam, aut Rhemenſem errare: Sed cùm erroris arguitur Romana, id verò tanquam blaſphemum procul rejicitis. Igitur quidquid in ſpeciem Eccleſiæ toti tribuitis, id ad Eccleſiam Romanam, id ad Papam reſtringit mens veſtra. Hunc
D unum ut errori, ſic cenſuræ negatis obnoxium eſſe. Jam ab Eccleſiæ Rom. fide jubetis hîc Scripturæ fidem pendere, quod vultis fidem Scripturæ periclitari, quin & διαῤῥήδην à nobis labefactari, ſi contendamus Eccleſiam Rom. uni mulieri perperam tribuere, quod à duabus, vel etiam à tribus diverſis factum conſtat ex circumſtantiarum, quas Evangeliſtæ notant, diverſitate. *Vt ignem*, inquis p. 150. *fumo, ſolem adventantem matutino ſplendore, motu ſenſuq; vitam, ſic fidelium ea de re conſenſionem minimè dubium vaticinii ſenſum agnoſcimus.*

Quam vocas fidelium consensionem, non est tanta, quantam videri vis. Nam quàm multi vos hæc demurmurantes audivit, qui quid dicatis, non intelligunt. Hi certè nec sentiunt, nec consentiunt, vobiscum hæc cantillantibus, sed iidem Scripturam cùm legunt, alium ex Scripturæ verbis sensum colligere possunt. Quàm multi dissentiunt à vobis, qui, licet inter vos sint, dissensionem suam non testantur, maximè scripto? Postremò non defuerunt, qui etiam scripto testarentur, & olim, & nuper, & intra vos, & extra vos, aliter se sentire. *Scripturam*, cùm negas *æternùm esse mansuram*, sophisticaris. Nam Casaubonus intelligit veritatem in Scripturâ comprehensam mansuram in æternum, utut variet, vacillet, cespitet super ea veritate fides Ecclesiæ Rom.

Caput VI.

ΑΣΚΗΤΡΙ'Α. JOH. BAPTISTA. SALOME.

CApite VI. Casaubono succenses, quod reprehendat interpretem, qui Annam Prophetissam, de qua Lucæ 2. cùm Cyrillus vocet ἀσκητρίαν vertit monialem. Sed mittamus studium partium. Quis monialem cùm audit, non intelligit monacham, μονάζουσαν, quæ monasticam vitam agit? An id de Anna dici potest? quæ septem annos marito convixerat, quæ vidua cùm esset, à templo non abscedebat, dicine potest monialis?

Quod Cedrenus narrat de Johanne Baptista in spelunca 30. circiter annos ab Angelo nutrito si verum fuisset, non fuisset annos plus mille silentio sepultum ab antiquitate tota. Itaque meritò fabulosi scriptoris narrationem eodem habuit loco Casaubonus, quo multas ejusdem farinæ apud eundem autorem fabellas neque debuit Baronius, ut probabilem eam suscipere, quia non est impossibilis, sed repudiare: quia tam illustris miraculi memoriam tot secula sepultam ab omnibus Ecclesiis, qui mavult credere, quàm uni monacho fidem abrogare, is parum honestè de Ecclesia sentit. Tu Baronii credulitatem dum tueris p. 151. tuam facis.

Cùm Josephus disertè dicat Salomen ab Herode fratre legato luculento donatam, cùm Eusebius hist. l. 1. c. 8. dicat ab Herode conjugem & liberos interfectos, non debuit Baronius unius & quidem sublestæ fidei libri de temporibus, qui Philoni tribuitur, auctoritate credere legendam apud Eusebium *sororem* pro *conjugem*. Tamen huic Pseudophiloni tantum adhibuit fidei, ut ter memoret Salomen occisam ab Herode, videlicet anno Christi II. III. & VIII. Tu vis p. 154. occisam primo Christiano. Sed cùm annales scribat Baronius, meritò Casaubonus eum arguit, quod incauto lectori det occasionem putandi Salomen iis annis mortuam, quibus eius mortem recenset Baronius, cùm tamen horum nullo defuncta sit, nec si tibi, nec si Josepho credamus.

Caput VII.

TITULUS CRUCIS. APOCRYPHA.

CApite VII. quam in Baronio contradictionem animadvertisse se putabat Casaubonus, eam ita concilias, in titulo crucis Hebraicam linguam fuisse supremo, Latinam infimo loco, quem ut Christi capiti propiorem vis honoratiorem fuisse, licet alio respectu primus locus Hebraicæ linguæ dari possit, id convenire vis cum eo titulo, qui Romæ visitur. Acumen laudo. Sed cum pleræque reliquiæ vestræ sint admodum dubiæ fidei, fateor me causam non videre, cur titulo Rom. vitiis non levibus laboranti, multum tribueret

bueret Casaubonus. Vero propius crediderim ordinem, quem secutus est Pilatus, à Lucâ notatum, c. 23. v. 38. *Erat*, inquit, *inscriptio scripta super eum literis Græcis & Romanis & Hebraicis.* Pilatus supremum locum dare potuit linguæ Græcæ, ut communiori. Nam supremus ille locus magis est conspicuus. Medium locum, ut honoratiorem suæ linguæ dare potuit, infimum Hebraicæ, ut quam minimi faceret. Johannes contra c. 19. v. 20. primum locum, ut nobiliorem, suæ, Propheticæ, B sanctæ linguæ dare potuit, reliquas eo numerare potuit ordine, quem Pilatus secutus fuerat. Sed ἐπέχομεν.

Ut Epiphanium Hieronymo concilies, dicis p. 158. Petrum Andreâ quidem juniorem fuisse, ut vult Epiphanius, sed Johanne seniorem; nec aliud Hieronymum velle contra Jovianum lib. 1. cùm ait: *Propterea inter duodecim Apostolos unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio. Sed cur non Iohannes electus est virgo? Ætati* C *datum, quia Petrus senior erat.* Si Johanne tantum seniorem innueret Hieronymus, etiam Johanne solo superiorem innueret. Cùm autem omnibus prælatum dicat, & id ætati datum, verisimile est Hieronymum aliter quàm Epiphanium censuisse, Hieronymum, inquam, credidisse Petrum omnium respectu seniorem fuisse.

p. 159. Apocryphi vocem Gelasius D. 15. c. *Sancta* variè sumit. Cùm ait: *Historia Eusebii apocrypha. Opera Tertulliani apocrypha*, D docet auctores illos non esse tantæ dignationis, ut eorum scripta sint canonicis, vel etiam Athanasii, Gregoriivé Nazianzeni scriptis comparanda. Cùm autem ait: *Actus nomine Petri Apostoli apocryphus, Evangelia Thaddæi nomine apocrypha*, &c. non postponit Petrum, vel Thaddæum Athanasio, sed innuit hos libros esse pseudepigraphos. Quantò magis hoc innuisse credendus est, cùm ait: *Epistola Iesu ad Abgarum apocrypha?* Igitur meritò Baronium reprehendit Casaubonus, dicentem: *has* A *literas à Gelasio quidem non censeri inter agiographa, non tamen ab Ecclesia proscribi.* Nam si verè sunt Christi; quo jure potuit eas Gelasius à canone secludere? Si meritò seclusit, omnino ne Christi quidem esse censuit, eoque proscribendas censuit, ut Christi nomen falsò præferentes. Tibi satis est modo pro Baronio scribas adversus Casaubonum, quàm verè, parum tuâ refert.

Caput VIII.

An Matthæi XVI. habeatur Typus celebrandi Concilii.

Capite VIII. dicis Christi cum Apostolis colloquium, de quo Matth. 16. p. 162. à Baronio dici non *concilium*, sed *typum quendam celebrandi concilii.* At neutrum dicere debuit Baronius A. D. 33. §. 17. cùm Magistri suos discipulos interrogantis ac docentis, colloquium non magis typus concilii sit, quam concilium: cumque Petrum inducat Baronius, ut conditorem præcipui fidei canonis, satis indicat, se pro concilio propriè dicto jam habere, quod primò concilii typum dixerat. Quin & tu, licet in speciem concilium fuisse neges, tamen *hæc*, inquis, quæ Christus observavit, *si serventur, nihil ad exequisitissimam legitimi concilii formam desiderari potest.* Nempe vis in concilio, legitimum ut sit, Papam eandem in reliquos Episcopos auctoritatem habere, quam Christus in Apostolos, vis Papæ etiam, cùm unius sententiam audierit, quam quidem ipse probaverit, licere Synodum, ut jam numeris omnibus absolutam solvere. Sed nec Apostoli, nec septem priora Reip. Christianæ secula censuerunt, hanc esse exquisitam legitimi concilii formam. Atque adeò, si Pontifex in concilio Christi personam gerit, Petri canonem fidei constituentis personam quis geret? *Negare non potes*, inquis, *Petri* p. 164.

verbis

verbis æternum fidei canonem contineri. At A idem canon continetur Natanaelis verbis Joh. 1, 50. & Marthæ, Joh. 2, 27. num ideò feras me, si dixerim à Martha, vel à Natanaele *fidei canonem constitui?* à solo Natanaele *clavum figi?* Igitur agnosce Natanaelem, Petrum, Martham, ut discipulos, ut servos, non ut legislatores, non ut canonum conditores hoc responsum reddidisse. Quin & cùm Petri sententiam à
p. 165. reliquis comprobatam agnoscis, ne in hoc quidem conventu solus Petrus clavum fi- B
p. 166. git, Cùm fatearis Baronium A. D. 33. §, 19. in collocatione verborum errasse, quid Casaubono succenses errorem hunc reprehendenti? exercit. 15. cap. 12. p. 385.

Caput IX.

LIBRI SIBYLLINI.

CApite IX. paginas aliquot impendis dissertationi de libris Sibyllinis. C Sed cùm Tarquinius M. Attilium equuleo insuendum curarit, quod libros illos evulgasset, & Augustus auctore Tacito jusserit in eorum qui cum Capitolio arserant alios substituendos curasse, qui pari quâ pridem fide haberentur, ita ut eos habere privatim non liceret, cui bono tam verbosè contendis adversus Casaubonum odio Christianorum interdictum Sibyllinorum & aliorum fatidicorum librorum lectione? Illud non negaverim D legis antehac generalis observationem severiùs à Christianis quàm ab aliis exigi solitam, & quidem Christianæ religionis odio. Quæ narras ad Herodis & filiorum eius historiam pertinentia nobis enarrare suo loco satis erit, si Deus dederit, ut hac historiæ parte defringamur, ac tum quoque vera, quod in nobis erit, proponere, nostram sententiam confirmare potiùs quàm aliorum sententias exagitare conabimur.

Caput X.

DIES HERODIS.

CAp. X. impendis disquisitioni de diebus Herodis à Persio memoratis. Et Casaubonus quidem in Persium cùm scriberet, dixerat: *si quis malit ad Herodem Agrippam, qui vivente Persio regnum in Iudæa obtinebat, hæc referre, & de natali illius accipere, non de primi Herodis, haud valde contendam,* quibus verbis omninò docebat eam ob causam se nolle cum Baronio contentiosum funem trahere, sed tamen tum quoq; magis probabat veteris scholiastę sententiam referentis hæc ad primum Herodem, quam sententiam postea quò penitiùs introspexit, eò probabiliorem comperit, & adversus Baronium propugnavit, in quo modestiæ specimen cùm edidisset, postea veritatem ita tutatus est, ut à pristinâ modestiâ non recesserit. Quod à Casaubono dictum refers *fuerunt quidem & senior Agrippa & junior reges Iudæorum, sed non Hierosolymorum, neq; τῶν κυρίως λεγομένων Iudæorum*: *sanè dictum nolim*, sed ideò properantiùs à Casaubono scriptum, quod ad quæstionis propositæ solutionem haud multum faciat. Persii Scholiastes sic habet: *Herodiani diem natalem Herodis observabant, ut etiam Sabbatha, quo die lucernas accensas, & violis coronatas in fenestris ponunt.* Tu pronomen illud *quo die* refers ad Sabbathum. Sed quis unquam scripsit id à Judæis singulis Sabbathis factitari solitum? aut cur Persius meminisset dierum Herodis, si singulis Sabbathis id factitassent Judæi? Igitur vero propius Scholiastem scripsisse *ponunt* pro *ponebant*, quam temporis enallagen ex serie sermonis satis satis agnitum iri putavit Scholiastes. Rursus videtur innuere Herodianos plerosque vel aliquos certè hactenus Judaicis ritibus indulsisse, quod Sabbatha servarent, & Herodis natalem diem

diem celebrarent ritu, qui defuncto potiùs quàm viventi convenit. Adde quod juniorem Agrippam cur Herodem Persius vocaverit, causam non video, cùm ne seniorem quidem Agrippam quisquam Herodem nuncupaverit extra Judæam. In Judæa dum regnabat, Herodes dicebatur, eam ob causam ita nuncupatur à Luca Actor. 12. Eius verò filium Herodem qui dixerit, non memini me legere: Primus autem Herodes domi quidem & Hierosolymis fuit invisus, foris verò charus ac tantum nō venerandus, quod quaqua versus de Judæis propemodum omnibus optimè meritus fuisset.

Caput XI.

ECCLESIASTICI XXXII. i. e. Επιφαύσα.

CAp. XI. multus es in tuendo Baronio, qui quod Eccles. 32, 1. dicitur: *Rectorem te posuerunt? noli extolli.* restringit ad convivium, cùm Casaubonus Junium secutus putet generalem esse sententiam. *Habet*, inquis, *Baronius adsentientes Maldonatum, Cornelium Iansenium, & teste Frontone Ducæo Calvinianos fere omnes Ioh. Drusium, Ios. Scaligerum, Guil. Stuckium, Gallicam Bibliorum versionem, quæ Genevâ prodiit A. D. 1588. Sed Casaubonus in Athenæi cœnulis occupatus Scripturarum interpretes legere non potuit.* Bona verba. Pridem Athenæo suo defunctus erat Casaubonus, cùm institueret Baronianorum Annalium examen. Sed in re, quam manifestam putabat, interpretum suffragia consulere necessarium non arbitrabatur. Ego Baronii sententiam ut firmem, addo Vatablam, addo vetera non minus quam nova Genevensium Biblia Gallica, addo Castalionem, cuiuscunque tandem sit ille pretii. Addo rationem tuâ meo judicio probabiliorem. *Rectorem*, inquis, *te posuerunt?* scribitur pro *rector constitutus es?* Sanè frequens est hujus-

A modi loquendi ratio, maximè apud Hebræos. Nam à Latinis vix usurpatur, nisi cum verbo *ferunt*, *aiunt*, aut alius ejusdem significationis. Hebræis verò eoque & Apostolis est id frequens Luc. 12, 48. περισσότερον αἰτήσουσιν αὐτὸν, & 12, 70. τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ. Sed superest tibi duplex difficultas. 1. quò referendum sit pronomen *esto in illis quasi unus ex illis.* 2. Ubinam extra convivium legisti convivii moderatorem dici simpliciter

B ἡγούμενον, ἄρχοντα, rectorem aut quid simile? Hæc proculdubio fuit præcipua Casauboni ratio, cui satisfeceris, si dicas subintelligendum, ab antecedentibus conjugatum, hoc modo ἡγούμενόν σε κατέστησαν οἱ συμπόται; *Rectorem te constituerunt* convivæ? *noli extolli.* Ita plana fiant omnia. Ellipsim autem conjugati leges Levit. 22, 2. *Dic Aaroni & filiis eius ut separent se*, separandi scilicet *à rebus sanctis*. Jer. 23, 26. היש nempe תושיה Græcè dixeris

C πότερόν ἐστι (nempe τὸ ὄν) ἐν τῇ καρδίᾳ τῶν προφητῶν. Latinè difficiliùs *An est*, nempe verum ens, hoc est, sapientia *in corde prophetarum?* 1. Sam. 14. versu penultimo, *non inventus est gladius acutus*, videlicet, *neque lancea acuta in manu totius populi*, sed obtusa, rubigine obducta erant illorum arma. Vocem autem לטושה *acuta* subintelligere commodè potes ex conjugato ללטוש quod habetur versu 20. Proverbiorum 19, 23. *Timor Domini* perducit *ad*

D *vitam, & timens Dominum satur*, hoc est, sorte sua contentus *commorabitur & non visitabitur à malo.*

Cùm Levit. 11, 22. lex disertè permittat esum quarundam locustarum, meritò miratur Casaubonus Isidorum Pelusiotam dixisse: *Illæ acrides, quibus vescebatur Iohannes, non sunt animalia Scarabæis similia, ut imperiti quidam existimant, absit.* Si Pelusiotæ sententiam probasset Casaubonus, improbasset Baronius, hui! quibus sannis Casaubonum exciperes? p. 183.

Sequitur gravis admodum censura. p. 183.

Casaubonus exercit. 2. §. 11. *Appellatio*, inquit, ἐπιφανίων *è ritibus paganorum ut alia multa, pio proposito fuit in Ecclesiasticam observationem derivata.* Sic exercit. 16. §. 44. docet ex Ethnicis Eleusiniorum mysteriorum ritibus multa vocabula, forsan & ritus aliquot in Ecclesiam promanasse.
p. 186. Hîc tu. *Non ignoro equidem quæ ex ex ethnicorum moribus sine ulla superstitionis specie retineri poterant, ea Patres retinuisse. Scio nonnullos cùm Christianorum dogmatum rationem redderent, conatos ostendere, usq; adeò non abhorrere à ratione naturali, quæ dicerent, ut bonam eorum partem etiam Philosophi viderint, aut confessi sint. Sed aut ritus gentilium, sacraq; sacrilega imitari eos voluisse, aut docuisse unquam quæ Christus instituisset in Ecclesiâ, ea imitatione impiorum sacrorum instituisse, id verò neq; unquam vidi, neq; blasphemiâ carere arbitror, cùm Gregorius Nazianzenus in sancta lumina dicat, Ceremonias se omnes & mysteria ethnicorum meras nugas esse censere, tenebrosumq; dæmonum inventum.* Sanè neque Moses, neq; Christus, neque Prophetarum aut Apostolorum quisquam ullum ex ritibus Ethnicorum in Ecclesiam invexit. Diabolus Dei simia fuit, non Deus Diaboli. Sed Apostoli Græcè loquentes potuerunt ex libris ritibusque Græcorum quædam vocabula mutuari. Ab Agonis Olympici, vel Isthmici ritibus quàm sæpe, quàm multa verba mutuantur? Vide 1. Cor. 9, 25. 1. Tim. 4, 8. 6, 12. 2. Tim. 4, 7. Hebr. 6, 1. 12, 1. Rom. 13, 12. Quidni potuerint etiam ab Eleusiniis sacram vocem μυστηρίων mutuari? Επιφανείας vocabulum rarum est apud LXX. usurpant 2. Reg. 7, 23. ποιῆσαι μεγαλωσύνην καὶ ἐπιφάνειαν. Amos 5, 22. σωτηρίου ἐπιφανείας οὐκ ἐπιβλέψομαι. Ex apocryphis quoque solus secundi Machabæorum libri author vocem hanc usurpat, idque sexies. Sed hunc authorem multa suadent, ut credam, Josepho recentiorem fuisse, eoque & Paulo, qui solus ex Apostolis vocem hanc usurpat. Is cùm etiam versus integros ex Epimenide, Menandro, Arato mutuatus sit, quid absurdum, si vocabula quædam, quæ suis sacris quodammodo peculiaria fecerant Ethnici, Paulus velut injustis possessoribus erepta transtulerit ad meliores usus? Indidem oriri potuit, quod Patres κατ' ἐξοχὴν ἐπιφάνειαν vel τὰ ἐπιφάνεια dixerint eam diem, qua Christus primo miraculo, qualis esset, ἐπιφανὴς manifestatus est. Res ipsas quod attinet, nec Apostolos, nec Prophetas ritum ullum religiosum ab Ethnicis mutuatos vult Casaubonus, si rectè mentem eius capio, sed à Patribus recentioribus, non ab Apostolis factitatum id innuit, pio quidem proposito, sed eventu pernicioso, quod ita paulatim tum Judaismi pridem sepulti, tum Paganismi magna pars in Ecclesiam invecta sit. Factum autem id tu quoque fateris, sed *morum* quam rituum vocabulo maluisti, & factum id ais sine superstitione. Sed hoc ipsum est, quod quærimus, an superstitiosi ritus à Satanâ inventi potuerint in Ecclesiam invehi sine superstitione. Baronius A. D. 44. §. 86. Non licuit quæ apud Gentes superstitioso cultu impiè agerentur eadem expiata sacro ritu ad pietatem transferre, ut majori Diaboli contumelia, quibus ipse coli voluerit, Christus ab omnibus honoraretur? & §. 87. *Ea quippe licentiâ quâ Delubra Deorum in ecclesias Christianorum sunt laudabiliter commutata, alii quoq; ritus Gentilium à nobis benedictionibus expiati divino sunt cultui consecrati. An non id Apostolorum exemplo? Nonne Paulus Athenis cùm esset, superstitionis aram Ignoto Deo dicatam, super quam victimæ impietatis cædebantur in veri Dei cultum (quantum eo tempore licuit) mirâ quâdam prudentiâ visus est transtulisse?* Sanè licet undique documenta pietatis, vel alicuius piæ commonitionis occasionem elicere, quod Apostoli, Prophetæ, pii doctores passim faciunt. At non hinc captat Paulus occasionem abolendi decreti divini, quo jubemur idololatrarum aras evertere, Exod. 34, 13. multò minus

minus hoc agit, ut aram hanc, aliasve Gentilium aras humanitus inventis ritibus Deo consecret. De templis, cùm nullum extet simile mandatum, nihil obstat quo minus amotis statuis & aris idololatricis Deo dedicentur. Sic, cùm Christianos leges Imperatoriæ juberent otiari diebus festis, quos invexerat superstitio, quid mirùm, si Gregorius Thaumaturgus hoc otio piè ad Dei cultum & Martyrum memoriam uteretur? At hinc non sequitur licere, vel unquam licuisse Gentilitiæ superstitionis ritus, quos nusquam scriptura probat, in Ecclesiam invehere.

Caput XII.

An Scribæ fuerint Membrum Pharisæorum.

CAp. XII. Casaubono graviter succenses damnanti exercit. I. §. 9. p. 57. Baronium quod *existimarit Scribas sectæ Pharisæorum esse membrum*. Baronium tueris auctoritate Epiphanii dicentis hær. 15. *Post Sadducæos Scribæ fuerunt*, & Hieronymi dicentis in Esaia 3. *Duas domus Nazaræi duas familias interpretantur Sammai & Hillel, ex quibus orti sunt Scribæ & Pharisæi.*

At utrumque falsi convincunt Scaliger & Casaubonus, Hillel obiit octo circiter post Christi nativitatem annis, Pharisæorum fateris occurrere mentionem apud Josephum annis 140. circiter ante Christi nativitatem, Fateris etiam Esdram Scribam fuisse, quin & ante Esdram multas Scribas fuisse. *Quod erat*, inquis, *doctrinæ factum est per occasionem sectæ vocabulum.*

At hoc est divinare. Scribarum sanè, ut & Sacerdotum plerique Pharisæorum factioni favebant, sed non ideò Scriba sectæ vocabulum erat, non magis quàm Sacerdos. Fallebantur igitur Nazaræi, quos vidit Hieronymus, & Hieronymo forsan imposuerunt, ut & aliquis alius Epiphanio.

Cùm Judæi dicunt in lege non esse prius neque posterius, hoc tantũ innuunt, in Scriptura non semper exactè servari temporis ordinem. Sed ordinem tamen illum à Scriptoribus sacris interversum nemini licet affirmare, nisi probet id necessariis quibusdam argumentis, ac potissimum ex ipsa Scriptura petitis. Cùm Matthæus, Marcus, Lucas quædam ordine diverso narrant, tum temporis seriem à Marco servatam comperiet, qui rem propiùs intuebitur. Sed utut aliter sentias, jam ante Marc. 3, 6. Matth. 12, 9. 24. blasphemiæ Christus insimulatur? Matt. 9, 3. 34. Marc. 2, 7. 16. Igitur, si velim Epiphanii sententiam tueri tribuentis Christi prædicationi duos annos, alterum acceptum, alterum contradictionibus obnoxium, dixerim Christum à Johanne baptizatum, anno V. C. 782. Marc. 1, 9. prædicare propriè cœpisse post captum Johannem anno 783. Marc. 1, 14. hunc annum fuisse acceptabilem, si comparetur cum sequenti, cujus historiam inchoat Marcus c. 2. v. 1. Christum autem anno 784. pro nobis passum, à multis creditum & affirmatum, ac inter cæteros ab Epiphanio, cùm revera passus sit anno V. C. 786. Aprilis tertio, feriâ sextâ, Lunâ XV. vel XIV. ut eruditè, copiosè, solidè demonstrarunt Rogerius Bachon, circa A. D. 1300. Paulus Burgensis, Joh. de Muris. Alfonsus Tostatus A. D. 1443. Joh. Stoflerius, Joh. Lucidus, Petrus Pitatus, ut de nostris nihil dicam, imprimis de Scaligero, qui quæstionem hanc omnium luculentissimè enarravit.

Caput XIII.

Epiphania iterum.

CAp. XIII. redis ad Epiphania Januarii sexto consecratâ, quâ die

Christum alii natum, alii salutatum & adoratum à Magis, alii baptisatum volunt, alii denique, primo suo miraculo, quo Canæ nuptias cohonestavit, manifestatum. Harum quatuor sententiarum ultimam probabiliorem esse mihi persuadet historiæ sacræ series, quam hîc prætexere non est necesse, multò minus velim contentiosum eam ob rem tecum aut cum quovis alio funem reciprocare.

Caput XIV.

Lingvæ Latinæ Dignitas.

CAp. XIV. totum extollendæ linguæ Latinæ dignitati impendisti, quod eius usus esset etiam in Ecclesiis Græcis, atque ita quidem, ut quæ in iis duabus linguis recitabantur, ea primum Latinè, dein Græcè recitarentur, ea nec Casaubonus negavit, nec causam video, cur quisquam nostrum in dubium vocet, modo agnoscas id imprimis debere potentiæ Romæ quatenus imperii sedes erat, quam linguæ suæ propagandæ studiosam fuisse nihil mirum. Idem studium fuit etiam Episcopo Rom. simulac cœpit dominatum aliquem in reliquos Episcopos, Occidentales imprimis usurpare.

Caput XV.

Missa Privata.

CAp. XV. totus in eo es, ut Casaubonum furere persuadeas, quod credat, ac contendat incognitum fuisse primis Ecclesiæ Christianæ seculis ritum, qui hodie passim, ut in uno eodemque templo multi simul diversas Missas canant, & communionem vocent epulum, in quo unus epulatur. Tu tamen hujusmodi ritum apud veteres obtinuisse nullo testi-
A monio probas, atque ita causam tuam prodis, & Casaubono, quem obruere moliris, causam adjudicas.

Caput XVI.

Errores aliqvot Josephi.

CAp. XVI. XVII. & XVIII. non tam Casaubono, quàm Josepho vel-
B licando impendis, quasi Casauboni vel nostra multum intersit, si probaveris alicubi Josephum errasse. At quis nostrum unquam negavit Josephum & errare potuisse, & de facto non semel errasse? Sed illud vicissim à Scaligero, Casaubonoque meritò notatum, Baronium in reprehendendo Josepho sæpè graviùs errare, quàm Josephum ipsum. Hæc liquidiùs demonstrarem, si seriem historiæ contexerem. Sed sufficiet obiter digitum ad fontem
C intendere.

I. M. Antonius ad Actum victus est Ægyptus in provinciã redacta anno 725. anno V.C. 725. Censum in Syria Judæaq; Quirinus egit anno 762. qui sane quadragesimus erat ab Actiaca pugna, ut tu cum Baronio meritò contendis, sed annis tantum solidis 37. distat ab æræ, quæ nonnunquam Actiaca dicitur, capite. Hinc est quod impropriè quidem, sed aliquo modo verè dixit Josephus Archelao pulso
D censum actum annis 37. ab Actiacâ pugnâ, vel potiùs quod ab alio verè dictum legerat, ipse perperam accepit, & sibi persuasit, Judæam in provinciam redactam anno V.C. 760. Dum verò deteriùs adhuc Josephi notationem interpretatus id retulit ad annum 759. Hinc est quod Josephus sciens Archelaum novem annos regnasse sibi persuasit Herodem mortuum annis 34. post Hierosolyma capta, annis 37. postquam à Senatu rex fuerat renuntiatus, hoc est, anno V.C. 751. Sed ecclipsis Lunę, quæ proximè mortem Herodis

rodis antecessit, docet Herodem non ante Januarii decimum anni 753. periisse. Quinquennalium autem Augusti descriptionum series indicat Quirinum census suos egisse annis 752. 757. & 762. eoque Christum natum anno 752. annis 33. solidis & mensibus aliquot antequam pro nobis mortem oppeteret, quod factum anno 786. supra monebamus cap. 12. Annos 37. quos Herodi tribuit Josephus, Baronius inchoat ab eo tempore, quo Rhodi post Actiacam victoriam regnum Herodi confirmavit Augustus, ut refert Josephus belli Judaici lib. 1. c. 15. Actiacum prœlium anno V. C. 723. commissum. Sed Augustus post illam pugnam in Italiam regressus, non ante Vernam sequentis anni temperiem Rhodum attingere potuit anno 724. ab eo tempore, si numeres annos 37. mors Herodis erit in annum 760. vel 761. conferenda. At Baronius ipse non ultra 759. annum eam differt, quod consentire videtur cum Ammonio, qui septennio post Christi nativitatem Herodem periisse narrat. Baronius, cùm anno 751. tribuat Christi nativitatem, mortem Herodis annis octo Christi nativitate posteriorem facit. Sed hoc leviculum est. Archelao cùm novennium tribuat Josephus, illius exiliũ in annũ 768 confert Baronius. At Archelaus regno jam spoliatus Romæ restitutionem postularet, adhibuit Augustus super ea re cùm alios consiliarios, tum etiam teste Josepho belli Judaici lib. 2. cap. 4. nepotem suum C. Cæsarem, quem periisse constat anno V. C. 757. Hanc, & multas alias ob causas, ut de Casaubono nihil dicam, hanc Baronii sententiam plurimùm exa-

A gitat Augustinus Torniellus. Interim fatemur Josephum in iis graviter errasse, quæ narrat à solo vel seculo suo valde remota, sacras historias non semper ex Scripturâ mutuari, sed vel memoriæ fidentem, vel quosvis alios potiùs quàm sacros libros præ manibus habentem, ea scribere, quæ fateor à te meritò sugillari. Sed in historia sui soli, sui seculi, vel etiam seculorum aliquot suo proximorum, multo diligentiorem fuisse, res ipsa docet, im-
B primis inde à Machabæis Herodianis ve temporibus. Ne in his quidem ἀναμάρτητον, fuisse dixerim: Sed in his ab eius sententiâ cùm discedit Baronius, id ut plurimùm infeliciter illi cessit. In eo tamen falleris, quod adversus Josephum contendis Rachelem septimo demum post Leam anno Jacobo nupsisse: Si nostra tibi sordet historia, vide sis annales Tornielli, & cujusvis partis optimos quosque Chronologos, comperies tibi Mosem
C non satis accuratè lectum. Hæc paucula mihi sufficiant, non oppugnandi tui, sed amici defendendi, sed veritatis propugnandæ, antiquitatis illustrandæ studio qualescunq; vindicias has aggresso. Præcipuus autem Casauboni oppugnator Bulengerus peculiarem sibi vindicat operam, quanquam non totius Bulengeriani scripti, sed præcipuæ tantum ipsius controversiæ nunc quidem examen molimur, ut tantò diligentiùs & accuratiùs dis-
D quiramus Romanæ Sedis *Quanam potestas, Sanctitas, fides siet*, sed antequã ad id accingamur, juvat brevi mantissâ vindiciis nostris non inamœnam, opinor, coronidem imponere.

IAC. CAPPELLI VINDICIARUM,

PRO

ISA: CASAUBONO

LIBER IV

SIVE

MANTISSA.

Caput I.

AN PRIMI LXX. SCRIPTURAM VERTERINT.

QVæstionum, quas Casauboni censores moverunt, prima fuit hæc, an rectè Casaubonus censuerit errasse Patres quosdam, qui non tantum de Judæis, sed & de Gentibus bene sperarũt, quos & seculo nostro secuti sunt quidam alioqui maximi viri: Zuinglius Tigurinus, Vives Hispanus, Andradius Lusitanus. Ego magnorum virorum, sive veterum, sive recentiorum honori lubens consuluerim, modo ne, dum aliis excusationem paro, ipse fiam inexcusabilis. Quod mihi ne accidat, faxit propitius in Christo Deus. Primùm igitur immotum maneat fundamentum istud, à quo suos annales inchoavit Baronius, quod in Baronio meritò laudavit Casaubonus, neminem unquam salutis æternæ participem factum, nisi per Christum, & in Christo. II. de pueris & infantibus, ut taceamus, adultum in Christo neminem esse, neminem unquam fuisse, nisi per fidem. III. Fidem hanc includere notitiam aliquam non tantum fœderis legalis, sed & fœderis gratiæ. Esaiæ 53. IV. Fœdus legale, sive legis aliquam notitiam Gentium omnium cordibus insculptam, Rom. 2. fœdus verò gratiæ post Mosis tempora potissimùm in Israele quærendum fuisse, notitiam eius ex Mosis & Prophetarum libris petendam. V. Horum cognitionem admodum raram & obscuram inter reliquas Gentes fuisse à seculo Mosis ad seculum Apostolicum, eam ob causam hæc tempora vocari ignorantiæ tempora Actor. 13. 19. & Gentes nobis proponi, ut nihil habentes commune cum Israelis Rep. spem non habentes, sine Deo in mundo, quia videlicet, qui Christum nullo modo novit, ne Deum quidem verè novit. Hæc, si non de omnibus & singulis incircumcisis, saltem de longe maximâ parte sunt intelligenda, cùm etiam Samaritani nescirent quid adorarent. Joh. 4. & Galilæa jaceret in umbrâ mortis, antequam illam inviseret Christus Matth. 4. Sed cùm fere trecentis ante Christi prædicationem annis Ægyptii certè sacrorum veteris instrumenti codicum versionem aliquam habuerint, horum beneficio potuit etiam ad aliquot alios lux illa propagari. Ante versionem illam Pt. Philadelphi jussu factam non constat nobis ullam aliam fuisse. Sed nec constat nullam omnino fuisse priorem illâ. Demus tamen totius veteris instrumenti versionem nullam illâ vetustiorem fuisse, cuius beneficio Græcis innotescere potuerit fœdus gratiæ. Quis ausit affirmare, ne lacinias quidem ullas instrumenti veteris Græcâ linguâ donatas? quis contra sentientem ausit hæreseos damnare? Atqui quod Clemens Alexandrinus, & aliquot Pii Patres tam bene sperarunt de clarissimis quibusq; Græciæ luminibus hæc fuit præcipua causa, quod putarunt illis non prorsus incognita fuisse Mosis & Prophetarum oracula. His quidem eos turpiter abusos docent crassissimi, tum Poetarum, tum Philosophorum errores, quibus scatent eorum scripta. Sed quibus instrumentis ad fabulas aut inanem Philosophiam abusi sunt, an non potuit Deus efficere, ut saltem in exitu quidem hæc sacrosancta Prophetarum oracula, vel eorum particulas aliquot animo recolentes meliùs mortui sint, quàm hactenus vixerant? Ea de re quidquid sentias jam à quæstione juris transire vides controversiam ad facti quæstionem, in qua multo minus periculosus est error. Sed ne videamur, si non hæreses, certè chimæras fingere vel parturire, videamus an in scriptis etiam vetustissimorum quorumque Græcorum extent quædam veritatis divinæ scintillæ, quædam historiæ

deli-

ſacræ delineationes, quædam etiam phraſeologiæ, quas probabile ſit eos ex libris ſacris mutuatos.

Caput II.

IMMORTALITAS ANIMORUM.

IMmortalitatem animorum negabant Sadducæi, licet profitentes Dei cultum & venerationem Scripturæ, Moſaicorum certè librorum: quaſi Moſes nuſquam eam doceat. Et diſertè quidem eam non docet, non magis quam angelorum creationem. Sed cùm angelos inducit Deo miniſtrantes, hinc ſatis liquet, hos quoque Dei creaturas eſſe, ſic & multa dicit, quæ teſtantur, quam non dubitarit de animorum immortalitate. Chriſto ſufficit illud allegari: *Ego ſum Deus Abrahami,* &c. quod viventium, non mortuorum ſit Deus. Eodem refertur, quod Abraham & Iſmael, Gen. 25. Iſaac, Gen. 35 Jacob Gen. 49. dicuntur *aggregari ſuis patribus.* Non quia ad ſolam ſepulturam corporis id referat, ecce Jacob Gen. 49. dicitur aggregari patribus ſuis, cuius tamen pollinctura ac ſepultura ſequenti demum capite deſcribitur, ut judiciosè monebat Leſchaſſerius. Sic Joakimus à Jeremia prædicitur cap. 22. aſini ſepultura ſepeliendus, ſepultura privandus, & tamen dicitur dormire cum patribus ſuis, 2. Reg. 24. 6. Sic cum nemo noverit Moſis ſepulchrum, tamen Deut. 32, 50. Deus illi dicit: *Colligere cum popularibus tuis.* Eodem pertinet vox *Scheol*, infernus, in quem ſe cum dolore deſcenſurum, ait Jacob, in quo Babylonio regi inſultare dicuntur mortui, Eſaiæ 14. in quo ſibi quidem optat Job cap. 3. cum regibus & conſiliariis, ubi captivi conquieſcunt, & vocem exactoris non audiunt. Sic Eccleſ. 12. corpus quidem in humum ſuam redire dicitur, anima verò ad Deum ſuum, ad Deum

A (inquam) patrem ſpirituum omnis carnis, Numer. 16, 22. qua voce peculiariter homines deſignantur, ut & creaturæ nomine, Rom. 8. Manent igitur animæ poſt mortem corporum, & aggregantur patribus ſuis, piæ quidem piis patribus, impiæ quoque ſuis, hoc eſt, impiis patribus. Hæc doctrina ſemper in Eccleſia Dei viguit, ſemper vigebit. Hanc doctrinam nunc quoque retinent Judæi, licet ab Eccleſia pridem avulſi ſolisque ve-
B teris inſtrumenti tabulis innitantur. Hanc doctrinam ab Eccleſia traditam accepit, ſed fabulis obſcuravit Helleniſmus, nec animarum tantum immortalitatem, ſed & retributionem pœnarum ac præmiorum, prout quia bene vel male ſe geſſerint in hac vita. Hujuſmodi μισθαποδοσίας & τιμωρίας, retributionis in utramq; partem exempla paſſim habentur apud Homerum & alios Poëtas, tum Græcos, tum Latinos. Dixeris forte doctrinam de ani-
C morum immortalitate, de judicio futuro, non minus ad legale quàm ad Evangelicum fœdus pertinere. Verum id quidem. Sed cùm etiam in populo tam multi doctrinam illam ejuraſſent, cùm eius probationem ex divini fœderis inſtrumentis arceſſat Chriſtus Matth. 19. quidni credamus doctores Gentium, qui meliùs quàm Sadducæi ſenſerunt hac in parte, non tantum ex reliquiis fœderis legalis gentium omnium cordibus inſculptis, hæc hauſiſſe,
D ſed ex rivis, qui veluti per canales quoſdam ex Moſis & Prophetarum ſacris fontibus deducti propagati fuerant ad Ægyptios, Tyrios, Græcos?

Multa pereruditè Thomas Aquinas ſcripſit de veritate, contra Gentiles circa A. D. 1260. Raimundus de Sabunde de Theologia naturali Norembergæ typis edita A. D. 1502. Auguſtinus Steuchus Eugubinus de perenni Philoſophia, Paulo III. P. R. qui deceſſit A. D. 1550. Georgius Pacardus de Theologia naturali A. D. 1574. Philippus Mornæus A. D. 1581.

quæ

quæ vel, ſi qua ſunt his ſimilia, ſi quis diligenter attendat, non tantum mirabitur & adorabit immenſam Dei bonitatem, quæ tot veritatis primigeniæ ſemina voluerit etiam inter ethnicos eminere, ſed etiam in ſuſpicionem, ni fallor, adducetur, etiam ante Pt. Philadelphum ad Græcos quædam Hebræorum monumenta promanaſſe. Qui Virgilium cum Homero contulerit, non dubitabit Homerũ à Virgilio lectum: Sic Homerum cum ſacris ſcriptoribus eo vetuſtioribus cùm confero, vix temperare mihi poſſum, quin credam ab Homero lectos ſcriptores illos ſacros, ſi non integros, ſaltem ἀπὸ μέρους. Ad id inductione longâ, multis exemplis opus eſt. *Nam quæ nil faciunt ſingula, multa juvant.*

A

B

Ea ſi non finem illum obtinent, quem poſtulat præſens controverſia, tamen amœnitatem aliquam habent, fructus, ut opinor, non prorſus expertem. Rem igitur, ut altiùs paulo repetamus, obiter Deorum ab Ethnicis adoratorum aliquot Origines recenſebimus.

C

Caput III.

ΑΠΟΘΕΩΣΕΙΣ.

HOminum ἀποθέωσις tempore Moſis videtur nondum in uſu fuiſſe. Nam cum Deut. 4. & paſſim alibi vetat, ne gentium more ſol, cœlum, & ſimilia pro Diis habeantur, nuſquam vetat, ne fato functi homines pro Diis colantur. Prævidens tamen Deus futurum, ut id quoque Deorum genus tralatitium fieret, ne cadavere Moſis ad ſuperſtitionem abuterentur Iſraelitæ, noluit illud cuiquam notum eſſe. Paulatim igitur factum, ut quæque gens conditores ſuos pro diis haberet. Omnes inde à diluvio homines, Noam, Semum, Japhetum, Chamum habent pro majoribus. Non mirum igitur ſi pro diis eos habuerint Ethnici.

D

Caput IV.

NOE.

NOmen ipſum Noë nuſquam à gentibus uſurpatum video, ſed epithetis deſignatum, quæ nulli mortali potius quam ipſi convenire putabant. Cùm enim tum non δεσποτικαὶ, ſed ἡγεμονικαὶ dominationes eſſent, parens omnium ab omnibus dictus eſt Saturnus, κρόνος, utraque vox Hebræis dominatorem noſtrum ſignificat. Syri, & Arabes frequenter, Hebræi nonnunquam particulam *SE*, non tam ἀναφορικὴν quàm ἐπιτατικὴν præfigunt tam nominibus quam verbis, ut videre eſt in vocibus SADAI, SALHEBET, SAABAD. Vox SATAR per ת ſignificat latere, per ט dominari. Græci verò THET Hebræorũ per ſuum T quam per ſuum Θ ſæpius exprimunt, & contra ת Hebræorum ſæpius per ſuum θῆτα quam per ſuum ταῦ. Quidam Saturnum à latendo dictum putarunt, & Latium ſcilicet hinc dictum. Ovid.

Et dicta eſt latium terra latente Deo.

Fabuloſa paronomaſia. Igitur à Satar, vel SATHAR dominari præfixa πρὸς ἐπίτασιν Syllaba σει, fit σείσιθρος, quem Philo Biblienſis apud Euſeb. de præparatione Evangelica lib. 9. diſertè deſcribit iis elogiis, quæ ſoli Noæ conveniant. Ejuſdem forſan originis eſt *maſtarna* ſic Tuſcè dictum refert Claudiana tabula Cœlum vivennam, à quo Cœlium montem dictum tradit Tacitus lib. 4. A. V. Q. 780. in quem locum Lipſius Claudianæ tabulæ verba refert omnino quemadmododum idem erat Cœles & Maſtarna, ſic idem erat Cœlum, Uranna & Saturnus. Licet Poëtæ μυθολογοῦντες Saturnum Cœli filium facerent. οὐρανὸν ab ὁράω deducunt Græci, ſed & οὐρανὸς & ὁράω poſſunt ab OR deduci, quod Hebræis lucem ſignificat.

ORAN eſt lux noſtra.

H

Caput V.

CHAM.

CUm Psaltes Ægyptum vocet Chami terram & in Ægypto memoretur Jupiter Hammon. Chemmis urbs & insula, quia dubitet hæc esse conditoris Ægypti vestigia.

Caput VI.

RHEA.

QVodnam fuerit nomen uxoris Noę, non docet scriptura, quin & inter Evam & Saram vix mille circiter annis sola supersunt mulierum nomina duo, uxorum scilicet Lamechi. Quam ob causam mas Hebræis dicitur Zacar, non quod tenaciore sit memoria, sed quod frequentior eius fiat mentio. Quin & mulier passim non alio quam patris aut mariti nomine designatur, unde septem mulieres Esa. 4. virum unum rogant, ut ab eo ducantur, ut habeant de cuius nomine nuncupentur, sed nomen quod uxori Saturni dant Græci, videtur Hebræum potius esse quàm Græcum. Honestius enim matrona perspicax dicitur à RAA videre, quam plena rimarum hac & illac perfluens à ῥέω fluo.

Caput VII.

JAPHET.

QVis Mosaicarum originum hostis aut contemtor tantus erit, ut neget Japetum Europæis tantoperè celebratum esse Noæ filium? Nam quod Saturni (quem Noam diximus) fratrem Cœli filium fabulantur Poëtæ, mythologicum est. Quotquot enim Cœlo inferuntur, hi sunt cœlo sati, οὐράνια φυτὰ, eoque fratres inter se. Mythologicum est quoque quod dicunt, hunc esse patrem Promethei, qui de luto formavit hominem. Nam ita suum patrem Japetum agnoscebant Europæi, ut hominem ab humo dictum & factum meminissent, sed divinæ προμηθείας præclarum δημιούργημα. Denique paucis veris plura permiscet falsa. Sed eluctatur veritas.

Merges profundo, pulcrior evenit.

Caput VIII.

SEM.

QVia Semi posteritas in Asia potissimùm sedes quæsivit, non mirum, si nomen eius Europæis fuerit obscurum, tamen ignotum planè non fuit: Sed hic quoque locum aliquis inter Europæos, deos obtinuit. Ovidius Fast. 1.

Quærebam Nonas Sango, Fidióne dicarem
An tibi SEMO pater? Tu mihi sangus eris.

Caput IX.

SCRIBENDI RATIO.

QVoscunque tandem Hebraismos aut historiæ sacræ vestigia videas apud Homerum, non tamen ipsos codices sacros Hebraicè scriptos unquam legit, ne si quidem dicamus eum vergente demum ætate cæcitate percussum. Nam si duas scribendi rationes tam diversas scivisset Homerus, hoc mysterium multis fabularum involucris odornasset. Si quid igitur legit, si quid audivit ad sacram historiam pertinens, id Græcâ linguâ legit, nec verisimile, est ullum populum Homero cognitum, quem sciret sinistrorsum scribere, sed quomodo scribentes Asiæ minoris incolas & Europęos noverat, eodem modo reliquos quosque populos scribere sibi persuadebat. Videlicet ex tribus Noæ filiis sola Semi posteritas scripsisse

psisse videtur à dextra ad sinistram, reliqui A
à sinistra ad dextram. Itaque posterior hæc scribendi ratio non tantum Europæ toti, sed & Africæ fuit communis. Nam quod aliter scribunt Mauri, mutuati sunt, id ab Arabibus ab hinc annis nongentis. At Æthiopes licet multa cum Hebræis habeant communia, tamen dextrorsum scribunt, ut & Armenii. Nec puto cis Armeniam & montem Amanum aliam scribendi rationem veteribus usurpatam, sed Mahumetismus ut in Africam, sic & cis B
Armeniam & in ipsam Europam Arabismum invexit, eoque sinistrorsum scribendi rationem. Ductum autem literarum quomodo aliæ ab aliis mutuatæ sint linguæ, & paulatim huc, deinde illuc flectendo pervaserint ad illam dissimilitudinem, quæ nunc primigeniæ contestationis vix ulla videtur habere vestigia, vide præstantissimum ea de re magni Scaligeri dissertationem in suis Eusebianis. Idem Æthiopica quædam edidit in suo C
de emendatione temporum locupletissimo thesauro. Vidimus & paucula Armeniaca, ex quibus si nihil aliud, eorum certè quæ diximus, confirmationem colligimus.

Caput X.

ΑΜΑΞΟΜΑΧΙ'Α.

Cum historici Græcorum nusquam D
inducant Græcos de curru pugnantes, quî fit, ut Homerus tam Græcos quàm Phrygas inducat hoc potissimum pugnandi genere utentes? Certè videtur hanc pugnandi rationem ex historiâ sacrâ didicisse, cùm in ea sit frequentissima à seculo certè Mosis ad Josiam usque. Nam & Achab, cui non diu superstes fuit Homerus, de curru pugnans occisus est.

Caput XI.

HEBRAISMI HOMERICI.

Heoræis קדם *Kedem* propriè significat auroram, & tamen Jonæ tertio ventus *Kadim* videtur meridionalem, eoque valde calidum & adurentem ventum significare. Septentrionalis autem ventus Hebræis dicitur צפון *Tsaphon*, occultus. Utramque phrasim videas apud Homerum. Siquidem is Septentrionem vocat ζόφον, & Meridiem ἠῶ. Telemachus enumerans insulas Ithacæ vicinas sic ait ὀδ. ι. v. 22. ἀμφὶ δὲ νῆσοι.

Πολλαὶ ναιετάουσι μάλα σχεδὸν ἀλλήλῃσι,
Δουλίχιόν τε, Σάμη τε, καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος.
Αὐτὴ δὲ χθαμαλὴ πανυπερτάτη εἰν ἁλὶ κεῖται
Πρὸς ζόφον. αἱ δέ τ' ἄνευθε πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε.

His verbis docet Zacynthum Septentrionalem, Dulichium & Samem Meridionales esse. Ulysses ὀδ. κ. v. 191.

Ὦ φίλοι, οὐ γάρ τ' ἴδμεν ὅπῃ ζόφος, οὐδ' ὅπῃ ἠώς.
Οὐδ' ὅπῃ ἠέλιος φαεσίμβροτος εἶσ' ὑπὸ γαῖαν
Οὐδ' ὅπῃ ἀννεῖται.

Consolari vult socios tempestate oppressos, cuius caliginem tantam esse ait, ut nesciant ubinam Septentrio, ubinam Meridies, ubinam Occidens, ubi denique sit Oriens.

Cùm aquila ad sinistram volans draconem unguibus laceraret, Trojani quidem hoc augurio terrebantur, & Polydamas Hectorem à prælio deterrebat. Hector autem hæc terriculamenta sic sugillat. Ἰλιάδ. μ. v. 237.

Τύνη δ' οἰωνοῖσι τανυπτερύγεσσι κελεύεις
Πείθεσθαι, τῶν οὔτι μεταστρέπομ' οὐδ' ἀλεγίζω,
Εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε,
Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοί γε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.

Mea nil refert, inquit, utrum aves volent ad dextram, πρὸς ἠῶ; hoc est, ad meridiem, an ad sinistram, πρὸς ζόφον, h. e. ad Septentrionalem, ubi rursus Hebrai-

ſmum novum vides. Nam Meridies Hebræis dicitur תימן *Teman*, h. e. dexter.

Quidam Homero Nilum incognitum arguebant, quod Nili vox apud eum non inveniatur. Strabo lib. V. reſpondet, forſan Nili nomen nondum in uſu fuiſſe. At ego Nilum Homero memoratum contendo phraſi perquam elegante, quæ manifeſtum Hebraiſmum ſapit. Siquidem Nilus Hebræis dicitur שיחור *Schichor*, ater. Nilus uliginem multam advehit, adeò ut Pharus multò terræ propior eſſet Homeri tempore quàm pridem. Homerus id hyperbolicè deſignare volens inducit Menelaum dicentem, Pharum à terrâ diſtare unius diei itinere, quod ſanè nimium eſt, ſed licentiam Poëticam id ſapit. Sic ergo

Οδ. δ. v. 354.

Νῆσος ἔπειτά τις ἐστὶ πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ,
Αἰγύπτου προπάροιθε (Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι)
Τόσσον ἄνευθ᾽ ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς
Ἤνυσεν, ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν.
Ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος, ὅθεν τ᾽ ἀπὸ νῆας ἐΐσας
Ἐς πόντον βάλλουσιν, ἀφυσσάμενοι μέλαν ὕδωρ.

Non in inſulâ Pharo, quam aqua carere fatetur Strabo l. 1. aquam hanc hauriri docet Homerus, ſed in proximæ ripæ fluvio, cuius aquam atram vocat, quod Nilus ater ab Hebræis dicatur.

Caput XII.

HOMERICARUM ELEGANTIARUM ORIGINES AD SUOS, id eſt, ſacros fontes deductæ.

HOmerum exoticorum ſcriptorum antiquiſſimorum & omnium elegantiarum, quibus veluti corollis exornant ſua ſcripta recentiores Poetæ, parentem concelebrant antiquitatis admiratores. Has elegantias, qui penitiùs introſpexit, comperiet pleraſque petitas à ſacris ſcriptoribus, ſive veteris inſtrumenti fragmenta viderit Homerus ipſe, ſive mu-

A tuatus ſit lepores illos ab aliis, qui jam pridem deſiderantur ſcriptoribus, qui ſacram ad Danielem vel Joſaphatum uſque hiſtoriam vel particulas eius jam interpolatas legerant, ad ſpecimen paucula notaſſe ſufficiet.

EX GENESI.

Gen. 4, 4. Reſpexit Dominus ad Abel & ad oblationem eius, ad Cainum autem
B & munus eius non reſpexit.

Iliad. κ. v. 46.

Ἑκτορέοις δ᾽ ἄρα μᾶλλον ἐπὶ φρένα θῆχ᾽ ἱεροῖσι.

Gen. 6. Arca Noæ gubernaculum, gubernatorem nullum habebat præter ipſum Deum.

Οδυσ. θ. v. 557.

Οὐ γὰρ Φαιήκεσσι κυβερνητῆρες ἔασιν
Οὐδέ τι πηδάλι᾽ ἐστί, τά τ᾽ ἄλλαι νῆες ἔχουσιν
Ἀλλ᾽ αὐταὶ ἴσασι νοήματα καὶ φρένας ἀνδρῶν.

Gen. 7. Arca Noæ hæſit in montibus
C Armeniæ. οδυσ. θ. Arca Phæacum officio ſuo erga ſapientiæ cœleſtis alumnum perfuncta mutatur in montem.

Gen. 8, 11. Columba ramum olivæ referens fuit Noæ felicis auſpicii inſtar. Hinc auſpiciorum quærendorum occaſio captata toties apud Romanos uſurpata, apud Homerum nonnunquam puta. Iliad. κ. v. 27. de Diomede & Ulyſſe.

Τοῖσι δὲ δεξιὸν ἧκεν ἐρωδιὸν ἐγγὺς ὁδοῖο.

Et quemadmodum Judæi ſigna pete-
D bant, ut Gedeon Judic. 6. ſic gentes auguria, Priamus à Jove petit fauſtum augurium.

Iliad. ω. v. 310.

Πέμψον δ᾽ οἰωνὸν ταχὺν ἄγγελον, ὅς τέ σοι αὐτῷ
Φίλτατος οἰωνῶν καί ἑοῦ κράτος ἐστὶ μέγιστον.
Δέξιον ὄφρα μιν, αὐτὸς ἐν ὀφθαλμοῖσι νοήσας
Τῷ πίσυνος ἐπὶ νῆας ἴω Δαναῶν ταχυπώλων.

Gen. 15, 10. Abraham hoſtias ſuas bifariam ſecare. Sic & Græci

Iliad. α. v. 460. & β. v. 423.

Μηρούς τ᾽ ἐξέταμον κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν
Δίπτυχα ποιήσαντες ἐπ᾽ αὐτῶν δ᾽ ὠμοθέτησαν.

Gen.

Gen. 17. Circumcisionem MULLA, Abrahamo dat Deus tanquam Symbolum ἀλεξικάκυ sui fœderis, ὀδυσσ. θ. v. 26. Mercurius Ulyssi dat MOLY, quam radicem fabulatur Homerus & ἀλεξιτήριον φάρμακον dicit.

Gen. 18. Abraham hospitibus excipiendis mactari jubet vitulum, non apponi jam assatum, vel coqui jam mactatum. Idem facit Achilles in Priami gratiam, quamvis intempesta nocte.

ἦ καὶ ἀναΐξας ὄϊν ἄργυφον ὠκὺς Ἀχιλλεὺς
Σφάξ᾽ ἕταροι δ᾽ ἔδερόν τε καὶ ἄμφεπον εὖ κατὰ κόσμον.

Idem facit Eumæus in Ulyssis gratiam.

ὀδυσσ. ξ. v. 75.

Βῆ δ᾽ ἴμεν ἐς συφεοὺς ὅτι ἔθνεα ἔρχατο χοίρων
Ἔνθεν ἑλὼν δύ᾽ ἔνεικε, καὶ ἀμφοτέρους ἱέρευσε.

Gen. 18, 20. Deus dicit clamorem Sodomitarum ad se pervenisse.

ὀδυσσ. ο. v. 328.

Τῶν ὕβρις τε, βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἵκει.

Gen. 18. & 19. Abraham & Loth, hominibus se putantes officia hospitalitatis impendere, angelos excipiunt. ὀδυσσ. Telemachus hominem hospitio putans excipere, Palladem excipit.

Gen. 19, 26. Uxor Lothi mutatur in statuam salis. Iliad. ω. Niobe mutatur in saxum. Hinc & illa metamorphoseon legitur apud Poëtas, inprimis apud Ovidium. Possunt etiam harum metamorphoseon inventores inde occasionem sumpsisse, quod 1. Sam. 24. Nabal dicitur in lapidem evasisse, hoc est præ formidine totus obstupuisse.

Gen. 20, 13. Cum התעוני אלהים ad verbum vagari me fecerunt Dii. Cum tamen unum eumque verum Deum intelligat Abraham. Sic & potest Homerus, etiam ubi plurali numero utitur, aliquando Deum unum intelligere, eumque supremum.

Iliad. α. v. 218.

ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται μάλα τ᾽ ἔκλυον αὐτοῦ.

Iliad. ρ. v. 514.

Ἀλλ᾽ ἤτοι μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.

A Ὀδυσσ. ξ. v. 83.

Οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν
Ἀλλὰ δίκην τίουσι καὶ αἴσιμα ἔργ᾽ ἀνθρώπων.

Ὀδυσσ. α. v. 32.

Ὢ πόποι οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται
ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ᾽ ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε᾽ ἔχουσι

Gen. 21. & 27. Gerari rex vocatur Abimelech, id est, pater meus rex.

Ὀδυσσ. β. v. 232.

Ὡς οὔτις μέμνηται Ὀδυσσῆος θείοιο
B Λαῶν οἷσιν ἄνασσε, πατὴρ δ᾽ ὣς ἤπιος ἦεν.

Gen. 23, 6. Hettæi dicunt Abrahamo *Princeps Dei es nobis*, cùm tamen pastorem scirent. ὀδυσσ. ι. v. 222. Minerva vultum assumit hominis, pastorem simul & principem referentis.

Ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα, νέῳ ἐπιβώτορι μήλων
Παναπάλῳ, οἷοί τε, ἀνάκτων παῖδες ἔασιν.

Rursus phrasim illam *princeps Dei* referunt hæc.

Iliad. λ. v. 58.

C Αἰνείαν θ᾽, ὃς Τρωσὶ θεὸς ὣς τίετο δήμῳ.

Gen. 28, 11. Jacob vidit scalam ad cœlum usque pertingentem. Hanc adumbrare videtur catena Homerica.

Iliad. η. v. 18.

Εἰ δ᾽ ἄγε πειρήσασθε θεοὶ ἵνα εἴδετε πάντες
Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες
Πάντες δ᾽ ἐξάπτεσθε θεοί, πᾶσαί τε θέαιναι
Ἀλλ᾽ οὐκ ἂν ἐρύσαιτε ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε
Ζῆν᾽ ὕπατον μήστωρ᾽ οὐδ᾽ εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε
Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλοιμι, ἐρύσσαι
D Αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ᾽ αὐτῇ τε θαλάσσῃ.

Gen. 32, 25. Jacob adversus Deum perpugnaciter luctatur, donec ab eo benedictionem & oraculum impetrat. Sic ὀδυσσ. δ. Menelaus adversus Deum Proteum dictum: Deus autem πάντως ἐν πᾶσι πρωτεύων, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως. Patriarcha apparuit. Hinc occasio sumpta fingendi Proteum in omnes formas versatilem.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Gen. 33, 11. Jacob Esauo dicit: Vidi faciem tuam, quasi viderem faciem Dei.

Iliad. μ. v.312.

πάντες ἢ θεοὺς ὡς εἰσορόωσι.

Gen.37,8. *Et amplius oderunt Iosephum fratres propter somnia eius.* οδυσσ. β. v.201. Penelopes proci sic Alithyrsæ responsavit.

Οὐδὲ θεοπροπίης ἐμπαζόμεθ' ἣν σὺ γεραιὲ
Μυθέαι ἀκράαντον, ἀπεχθάνεαι δ' ἔτι μᾶλλον.

Genes. 39. Potipharis uxor impudicitiam suam affingit Josepho. Sic & suam Prœti uxor Bellerophonti.

Iliad. Z. v.164.

Τεθναίης, ὦ Προῖτ', ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην,
ὅς μ' ἔθελεν φιλότητι μιγήμεναι οὐκ ἐθελούσῃ.

Gen. 40. & 41. Somnia tam fausta quam infausta mittuntur à Deo.

Iliad. β. v. 6. de Jove.

Ἥδε δέ οἱ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή
Πέμψαι Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι οὖλον ὄνειρον.

Gen. 41. Septem spicæ & septem vaccæ sunt septem anni. Sic Iliad. β. v.326. octo pullos ab aquila cum matre devoratos interpretatur Chalcas annos 9. in obsidione Trojæ consumendos.

Genes. 43. ultimo versu Joseph Benjamini dat in convivio quintuplo plures quam reliquis fratribus portiones.

Iliad. θ. v. 161. Hector.

Τυδείδη, περὶ μέν σε τίον Δαναοὶ ταχύπωλοι
Ἕδρῃ τε, κρέασίν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσιν.

Et Iliad. μ. v. 310.

Γλαῦκε, τίη δὴ νῶϊ τετιμήσθα μάλιστα
Ἕδρῃ τε, κρέασίν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσιν.

Gen. 47, 24. Ægyptii Josepho dicunt, Vivificasti nos. Ulysses Nausicæ οδυσσ. θ. v. 468.

——— σὺ γάρ μ' ἐβιώσαο κούρη.

Gen. 49. Jacob Ruben dicit: *Ne excellas quia conscendisti cubile patris tui* Ob idem crimen ab Amyntore filius se diris devotum ait.

Iliad. ι. v. 453.

——— πατὴρ δ' ἐμὲ αὐτίκ' ὀϊσθεὶς
Πολλὰ κατηρᾶτο, στυγερὰς δ' ἐπεκέκλητ' ἐρινῦς.

A

Caput XIII.

Ex Exodo.

Exod. 2, 5. Filia Pharaonis ad lavandum egressa, Mosen aquis propemodum immersum liberat. Ulysses quoque aquis minimo minus immersum liberat Nausicaa Phæacum regis filia ad lavandum itidem egressa.

οδυσσ. η. v. 311.

B Exod. 11, 21. Mosen profugum excipit Jethro, filiam suam & conjugem dat. οδυσσ. η. v. 311. Ulyssem profugum excipiens Alcinous talem sibi generũ optat.

Exod. 5. Israelitæ deliciis Ægyptiacis inescati reditum in patriam aspernantur. οδυσσ. ι. v. 9. Ulyssis socii reditum itidem in patriã respuunt toti dulcedine deliniti.

Ἀλλ' αὐτοῦ βούλοντο μετ' ἀνδράσι Λωτοφάγοισι
Λωτὸν ἐρεπτόμενοι, μενέμεν νόστου τε λαθέσθαι.

De loto palustrium Ægyptiacorum
C Herodot. lib. 2. p. 122.

Exod. 12. Moses annum Lunarem instruit solari dierum 11. aut 12. breviorem. His 11. diebus Deorũ hilaria assignantur.

Iliad. ι. v. 43.

Ζεὺς γὰρ ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα (θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο)
Δωδεκάτῃ δέ τοι, αὖθις ἐλεύσεται Οὔλυμπόνδε.

In Æthiopia convivium hoc instrui dicit Homerus, propter epulum quoddam in Æthiopia celebrari solitum. Ditissi-
D mus quisque noctu sub dio dapes apponebat, quasi Deos cibaturos: Exorto sole licebat cuiq; dapes appositas quasi è terra natas decerpere.

Exod. 20, 2. Dominus ait: Ego sum Deus tuus. Plato dicebat se, cum tacitè loqueretur, Deum unum nuncupare. Idem videtur Homerus observasse, qui, cum agitur de rebus Deo dignis, eas ut plurimum Deo singulari numero tribuit, de plurali diximus in Genes. 20, 13. Proferamus aliquot elogia Θεοπρεπῆ, Deo singulari numero attributa.

Iliad.

Iliad. α. v. 178. Agamemnon Achilli.

Ει μάλα καρτερός ἐσσι Θεός πȣ σοι τόγ' ἔδωκε.

Iliad. ν. v. 731.

Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα.

Iliad. ν. v. 743.

——αἴκ' ἐθέλησι, θεὸς δώμεναι κράτος.

οδυσσ. γ. v. 231.

Ῥεῖα θεός γ' ἐθέλων καὶ τηλόθεν ἄνδρα σαώσαι.

Deorum factitiorum duo genera proponit Homerus, 1. elementa sive mundi partes insigniores, cœlum, terra, mare, fluvii, &c. 2. homines de generis humani societate bene meriti. Unum ἀγένητον, qui dicitur Homero.

——πατὴρ ἀνδρῶν τε Θεῶν τε.

Platoni in Timæo cœli & terræ creator.

Sic cum Jovis nomine designat supremum Deum, de eo tum σεμνοπρεπῶς loquitur. Iliad. α. v. 526. sic ait Jupiter.

——ȣ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, ȣδ' ἀπατηλὸν

ȣδ' ἀτελεύτητον γ' ὅ, τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

Iliad. β. v. 116. & Iliad. ι. v. 23.

ȣ̓́τω πȣ Διὶ μέλλει ὑπερμενέϊ φίλον εἶναι

ὃς δὴ πολλάων πολίων κατέλυσε κάρηνα

ἠδ' ἔτι καὶ λύσει· τȣ̃ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον.

Iliad. β. v. 197.

——τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι.

Iliad. δ. v. 84.

Ζεὺς, ὅστ' ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτυκται.

Iliad. σ. v. 328.

Ἀλλ' ȣ̓ Ζεὺς ἄνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ.

οδυσσ. ζ. v. 187.

Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώποισι

Ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖσιν ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ.

At cum Jovis adulteria describit Iliad. ξ. v. 315. ludit occasione sumta 1. quod Gen. 6, 2. quidam homines vocantur filii Dei. 2. quod & Ægyptiorum & Cretensium reges quosdam sciebat Joves esse nuncupatos & pro diis habitos, horum fictitiam divinitatem traducit eorũ stultitiã describendo. Sic Junonem, Venerem, Dianam, Martem, & id genus Deorum mendicabula manifestò sugillat Homerus, cum iis ea tribuit, quæ ne sobriis quidem viris conveniunt. Ut cum Junonis

A pedibus incudes apponentem Jovem, describit Iliad. ο. cum Deos pingit, multo cum risu accurrentes, & Venerem cum Marte congredientẽ spectent, Mercuriũ vero sibi locum Martis optantem, sic in hymno Mercurium dum venerari videtur falsò ludificatur. Huius hymni prolixè summam paucis complexus est Horatius.

Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret vacuus pharetra,
Risit Apollo.

B Quid quod unus Diomedes duos deos vulnerat Martem & Venerem? Iliad. ε. v. 869. & 883.

Exod. 23, 11. Judæa Sabbathicis annis etiam inculta profert, tamen & fruges & vinum. οδυσσ, ι. v. 109.

Ἀλλὰ τάγ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται

Πυροὶ καὶ κριθαὶ ἠδ' ἄμπελοι——

Exod. 29, 1. Immolantur arietes immaculati. Iliad, α. v. 315.

C Ἔρδον δ' Ἀπόλλωνι τεληέσσας ἑκατόμβας

Ταύρων ἠδ' αἰγῶν. Iliad. β. v. 306.

——ἱερȣ̀ς κατὰ βωμȣ̀ς

Ἔρδομεν ἀθανάτοισι τεληέσσας ἑκατόμβας

οδυσσ. ρ. v. 50. & 60.

Εὔχεο πᾶσι θεοῖσι τεληέσσας ἑκατόμβας.

Exod. 40. Sacerdotes lavantur priusquam sacra operentur.

Iliad. ζ. v. 266. Hector.

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισιν Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον

Ἅζομαι ȣ̓δέ πῃ ἐστι κελαινεφεῖ κρονίωνι

D Αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.

Iliad. ι. v. 171.

Φέρτε δὲ χερσὶν ὕδωρ, εὐφημῆσαί τε κέλεσθε

ὄφρα Διὶ κρονίωνι ἀρησόμεθ' αἴκ' ἐλεήσῃ.

Caput XIV.

Ex Deuteronomio.

Deut. 22, 8. Cum ædificabis domum novam facies loricam tecti. Hoc mandatum cum sprevisset maligna Circe, Elpenor è tecto prolapsus dicitur.

οδυσσ. λ. v. 64.

Ἀλλὰ κατ' ἀντικρὺ τέγεος πέσεν.

Caput

Caput XV.

Ex Libro Judicum.

JUd. 1, 7. Adonibesek ait LXX. reges pedum manuumque pollicibus abscissis collegebunt cibum sub mensa mea. Hujusmodi ἀκρωτηριασὴν Echetrum inducit Homerus, apud quem ita minantur Penelopes proci ὀδυσσ. σ. v. 84.

Πέμψω σ' ἤπειρόν δε βαλὼν ἐν νηΐ μελαίνῃ
Εἰς ἔχετον βασιλῆα βροτῶν δηλήμονα πάντων
Ὅς σ' ἀπὸ ῥῖνα τάμῃσι καὶ οὔατα νηλέϊ χαλκῷ
Μήδεά τ' ἐξερύσας δώῃ κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι.

Hujusmodi quoque regum multitudinem habet Homerus, qui in Ithaca & aliis hujusmodi νησιδίοις multos reges describit.

Jud. 4. Deboræ (quæ vox apem significat) fortitudo describitur. Iliad. ρ. v. 570. Minerva Menelao muscæ fortitudinem dare dicitur.

Ἐν δὲ βίην ὤμοισι καὶ ἐν γούνασσιν ἔθηκε
Καί οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν
Ἥτε καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο
Ἰσχανάᾳ δακέειν, λαρόν τέ οἱ αἷμ' ἀνθρώπου.

Judic. 7. Non est, nisi gladius Gedeonis, &c. hoc omen plurimum Gedeonem confirmavit. Sic & Ulyssi ominis instar fuit vox ancillæ dicentis, audito tonitru.

Ὀδυσσ. υ. v. 115.

Μνηστῆρες πύματόν τε, καὶ ὕστατον ἤματι τῷδε
Ἐν μεγάροις ὀδυσῆος ἑλοίατο δαῖτ' ἐρατεινὴν
Ὣς ἄρ' ἔφη, χαῖρεν δὲ κλεηδόνι δῖος ὀδυσσεὺς

Ominis usus postea frequentissimus fuit apud Romanos, de quibus vide Valer. Max. lib. 1.

Jeptha Jud. 11. filiam sacrificio devotam virginitati consecrat. Gen. 22. Abrahamo filium sacrificaturo substituitur aries. Agamemnoni filiam suam Iphigeniam sacrificaturo substituitur cerva, Iphigenia vero virginitati consecratur.

Jud. 13, 20. Angelus cum Manua col-
A locutus volucris instar sustollitur, oculis subducitur. Sic & ferè Pallas Telemachum allocuta.

Ὀδυσσ. α. v. 319.

Ἡ μὲν ἄρ' ὣς εἰποῦσ' ἀνέβη γλαυκῶπις Ἀθήνη
Ὄρνις δ' ὣς ἀνόπαια διέπτατο· τῷ δ' ἐνὶ θυμῷ
Θῆκε μένος καὶ θάρσος

Jud. 14. Samsonis robur affingit Homerus Polyphemo suo, sed cum auctario hyperbolico.

B

Caput XVI.

Ex Primo Samuelis.

PRimo Sam. 9. Samuel Saulem cohonestat sacrificii portione, quam sibi reservaverat, Sic & Agamemnon Ajacem Iliad. ζ. v. 321.

Νώτοισιν δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γέραιρεν
Ἥρως Ἀτρείδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων.

1. Sam. 14, 15. Quasi dimidio sulco
C jugeri.

Ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἀπέην ὅσσον τ' ἐπὶ οὖρα πέλονται
Ἡμιόνων

Ibid. Philistini cadebant ante Jonathanem, armiger autem eius eos perimebat post eum.

Iliad. κ. v. 489.

Ὅντινα Τυδείδης ἄορι πλήξειε παραστὰς
Τὸν δ' Ὀδυσσεὺς μετόπισθε λαβὼν ποδὸς ἐξερύσασκε.

2. Sam. Absalom salutationibus demulcet populum. Sic & Menelaus Aga-
D memnonis consilio Iliad. κ. v. 68.

Πατρόθεν ἐκ γενεῆς ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον
Πάντας κυδαίνων· μηδὲ μεγαλίζεο θυμῷ.

Sic &

Ἐξονομακλήδην ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον

1. Sam. 17. Goliath Davidi. *Dabo carnem tuam avibus cœlorum & bestiis agri.*

Iliad. ν. v. 831.

——ἀτὰρ Τρώων κορέεις κύνας ἠδ' οἰωνοὺς
Δημῷ καὶ σάρκεσσι——

Sæpe quidem Homerus præter decorum longas orationes tribuit pugnaturis, sed videtur hoc μιμητικῶς facere, quod legisset

vel

vel audivisset historiam duelli huius inter A Davidem & Goliathum, & orationum quas ante pugnam habuerant.

1. Sam. 17. & 22. David Goliatho caput amputat, Philistini Sauli, reliquum cadaver bestiis devorandum relinquunt idem Hector Patroclo facere conatur.

Iliad. ϱ. v. 125.

Ἕκτωρ μὲν Πάτροκλον ἐπεὶ κλυτὰ τεύχε᾽ ἀπηύρα
Ἕλχ᾽ ἵν᾽ ἀπ᾽ ὤμοιιν κεφαλὴν τάμοι ὀξέϊ χαλκῷ
Τὸν δὲ νέκυν Τρωῇσιν ἐρυσσάμενος κυσὶ δοίη.

1. Sam. 20, 41. David & Jonathan se- B se cum lachrymis exosculantur. Οδυσσ. π. v. 38. Penelope Telemachum ita excipit.

Ἀμφὶ δὲ παιδὶ φίλῳ βάλε πήχεε δακρυχέουσα
Κύσσε δέ μιν κεφαλήν τε καὶ ἄμφω φάεα καλὰ
Χεῖρας τ᾽ ἀμφοτέρας ———

1. Sam. 20, 4. Jonathani, *quasi passus est inter me & mortem.* Iliad. ν.

Νῦν γὰρ δὴ πάντεσσιν ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς
Ἢ μάλα λυγρὸς ὄλεθρος Ἀχαιοῖς ἠὲ βιῶναι.

1. Sam. 20, 30. Saul Jonathani. *Fili perversæ rebellis*, pro, ô *perverse* Hector Iliad. ξ. C v. 125. & φ. 151.

Δυστήνων δέ τε παῖδες ἐμῷ μένει ἀντιόωσι.

1. Sam. 25. David Sauli: Quem persequeris? eandem mortuum.

Iliad. ξ. v. 344. Helena Hectori.

Δᾶερ ἐμεῖο κυνὸς κακομηχάνου ὀκρυοέσσης.

Eadem Menelao.

——— ὅτ᾽ ἐμεῖο κυνώπιδος εἵνεκ᾽ Ἀχαιοὶ
Ἤλθετ᾽ ὑπὸ Τροίην ———

Iliad. σ. Achilles.

——— τὸν δ᾽ ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα
Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
Χεύατο κὰκ κεφαλῆς χαρίεν δ᾽ ᾔσχυνε πρόσωπον

Αὐτὸς δ᾽ ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς
Κεῖτο φίλῃσι δὲ χερσὶ κόμην ᾔσχυνε δαΐζων.

Iliad. ω. v. 163. Priamus.

——— ὁ δ᾽ ἐν μέσσοισι γεραιὸς
Ἐντυπὰς ἐν χλαίνῃ κεκαλυμμένος ἀμφὶ δὲ πολλὴ
Κόπρος ἔην κεφαλῇ τε καὶ αὐχένι τοῖο γέροντος
Τήν ῥα κυλινδόμενος καταμήσατο χερσὶν ἑῇσι.

Ovid. Metamorph. lib. 8. v. 530.

Pulvere canitiem genitor vultusq; seniles
Fœdat humi fusos ———

5. Sam. 13, 20. Thamar lugens capiti manum imponit.

Iliad. ω. v. 711.

Τῇσιν δ᾽ Ἀνδρομάχη λευκώλενος ἦρχε γόοιο
Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο κάρη μετὰ χερσὶν ἔχουσα.

2. Sam. 16, 8. Semei Davidi maledicit.

Iliad. β. v. 212.

Θερσίτης δ᾽ ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολῴα.

2. Sam. 16, 9. Abisai de Semei: *Cur maledicit hic canis mortuus Domino meo regi?*

Iliad. θ. v. 423. & 482. Jupiter Junoni.

Ἀλλὰ σύγ᾽ αἰνοτάτη κύον ἀδδεὲς αἴ κ᾽ ἐτεόν γε
Τλήσεαι ... ἐμεῖο
Στήσασθαι.

Achilles Hectori. Iliad. χ. v. 345.

Μή με κύον γούνων γουνάζεο μηδὲ τοκήων.

Idem Agamemnoni Iliad. α.

Τιμὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ σοί τε κυνῶπα.

D 2. Sam. 16, 12. David Abisai de *Semei*: *Sinite illum, maledicere Deus illi dixit.*

Iliad. ε. v. 185.

Οὐχ ὅγ᾽ ἄνευθε θεοῦ τάδε μαίνεται.

2. Sam. 19, 25. Mephiboseth in luctu pedes non lavat. Iliad. π. v. 235. Selli Jovis Sacerdotes quasi perpetuo lugentes pedes non lavant, humi cubant.

Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε Πελασγικὲ τηλόθι ναίων,
Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου, ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ
Σοὶ ναίουσ᾽ ὑποφῆται ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι.

2. Sam. 20. Joab Amasæ barbam dextra protendit quasi gratificaturus.

Caput XVIII.

Ex Secundo Samuelis.

Secundo Sam. 11, 26. Joabo David. *Sic & sic devorat gladius.*

Iliad. σ. v. 309.

Ξυνὸς Ἐνυάλιος καί τε κτανέοντα κατέκτα.

2. Sam. 12, 16. David filium lugens humi provolvitur, 2. Sam. 13, 19. Thamar caput cinere conspergit, toga caput involvit.

Iliad. ι. v. 500. Thetys Jovi.

A

καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα.

2. Sam. 12, 21. David post luctum lavatur, erigitur. Οδυσ. ρ. v. 88.

Τοὺς δ' ἐπεὶ οὖν δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ
Ἀμφὶ δ' ἄρα χλαίνας οὔλας βάλον ἠδὲ χιτῶνας
Ἔκ ῥ' ἀσαμίνθου βάντες ἐπὶ κλισμοῖσι καθῖζον.

Caput XVIII.

Ex Libris Regum.

B

PRiore Reg. Joab sibi metuens ad altare fugit:

Οδυσ. χ. v. 319. duo Penelopes proci.

Ἐκζέσθην δ' ἄρα τώγε Διὸς μεγάλου ποτὶ βωμόν.

1. Reg. 22. Achab ait Micham sibi displicere quod infausta semper vaticinetur. Iliad. α. v. 106. Agamemnon Chalcanti.

Μάντι κακῶν, οὔπω ποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας
Αἰεί τοι τὰ κάκ' ἐστὶ φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι
Ἐσθλὸν δ' οὐδέ τί πω εἶπας ἔπος οὐδ' ἐτέλεσσας.

C

2. Reg. 4, 27. Sunamitis supplex Elisæi pedes amplectitur. Thetis Jovis genua. Iliad. ι. v. 500. Priamus Achillis ω. v. 478.

Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας
Δεινὰς ἀνδροφόνους, αἵ οἱ πολέας κτάνον υἷας.

Caput XIX.

Ex Libris Chronicorum.

D

PRiore Chron. 13, 7. David vino pretiosiorem aquam, utpote capitis periculo comparatam, Deo libat, Græci passim vinum. Iliad. ξ. v. 490.

Οἶνον δ' ἐκ δεπάων χαμάδις χέον, οὐδέ τις ἔτλη
Πρὶν πιέειν πρὶν λεῖψαι ὑπερμενέϊ Κρονίωνι.

2. Chron. 12. Roboam pro scutis aureis Salomonis substituit ænea. Hinc apud Homer. Glauci cum Diomede armorum permutatio.

Χάλκεα χρυσείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Caput XX.

Ex Jobo.

JOb cap. 1. lugens se tondet c. 2. cineribus assidet, Sybaritarum audita direptione Milesii omnes ἡβηδὸν ἀπεκείραντο τὰς κεφαλάς. Herodot. lib. 6. cap. 21. Agamemnon Pelos avellit. Iliad. κ.

Πολλὰς δ' ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας
Ὑψόθ' ἐόντι Διΐ. ———

Οδυσ. ω. v. 46.

Δάκρυα πολλὰ χέων Δαναοὶ κείροντό τε χαίτας.

Οδυσ. λ. v. 189. Lacertes Ulyssem lugens.

Ἀλλ' ὅγε χεῖμα μὲν εὕδει ὅθι δμῶες ἐνὶ οἴκῳ
Ἐν κόνι, ἄγχι πυρός, κακὰ δὲ χροῒ εἵματα εἷται.

Hinc ortum quod supplices assidebant foco. Et οδυσ. η. v. 143. Ulysses Aretæ genua complectens illi supplicat, absoluta supplicatione foco assidet.

Ἀμφὶ δ' Ἀρήτης βάλε γούνασι χεῖρας Ὀδυσσεύς.

Et paulò post.

Ὣς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετ' ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσιν
Πὰρ πυρί. ———

Tum Echeneus v. 159.

Ἀλκίνο' οὐ μέν τοι τόδε κάλλιον οὐδὲ ἔοικε
Ξεῖνον μὲν χαμαὶ ἧσθαι ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσι.

Alcinous igitur Ethenei monitu prehensum, manibus Ulyssem assidere cathedræ jubet.

Job. 1. *Deus dedit, Deus abstulit.*

οδυσ. α. v. 347.

——— οὐ νύ τ' ἀοιδοὶ
Αἴτιοι ἀλλά ποθι Ζεὺς αἴτιος ὅς τε δίδωσι
Ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ.

Οδυσ. δ. v. 236.

——— ἀτὰρ Θεὸς ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλῳ
Ζεὺς ἀγαθόν τε κακόν τε διδοῖ, δύναται γὰρ ἅπαντα.

Job. 7. *Annon militia est homini super terram.*

Iliad. ρ. v. 446.

Οὐ μὲν γάρ τί πού ἐστιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς
Πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει.

οδυσ. σ. v. 130.

Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο.

Job.

Job. 13, 20. *Homo sicut flos prodit & succiditur.* A

Τυδείδη μεγάθυμε, τίμοι γενεὴν ἐρεείνεις
Οἵηπερ φύλλων γενεὴ τοίηδε καὶ ἀνδρῶν.

Iliad. φ. v. 464.

——— οἱ φύλλοισιν ἐοικότες ἄλλοτε μέν τε
Ζαφλεγέες τελέθουσιν ἀρούρης καρπὸν ἔδοντες
Ἄλλοτε δ᾽ αὖ φθινύθουσιν ἀκήριοι.

Caput XXI.

EX PSALMIS.

B

PSal. VI. *Lachrymis rigo lectum meum.* ὀδυσσ. η. v. 254. Ulysses.

Ἔνθα μὲν ἑπτάετες μένον ἔμπεδον εἵματα δ᾽ αἰεὶ
Δάκρυσι δεύεσκεν τά μοι ἄμβροτα δῶκε καλυψώ.

ὀδυσσ. ρ. v. 102. Penelope.

Λέξομαι εἰς εὐνὴν, ἥ μοι στονόεσσα τέτυκται
Αἰεὶ δάκρυσ᾽ ἐμοῖσι πεφυρμένη ἐξ οὗ ὀδυσσεὺς
Ὤχετ᾽

Psal. 49. 8. *Frater non redimet animam viri.* C Iliad. ι. v. 408.

Ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν, οὔτε λεϊστὴ
Οὔθ᾽ ἑλετή, ἐπεὶ ἄρκεν ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων.

Psal. 75, 9. *Calix est in manu Domini, quem propinat.* Iliad. θ. v. 69.

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα
Ἐν δ᾽ ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο.

Iliad. ω. v. 526.

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
Δώρων οἷα δίδωσι κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων

Psal. 107. v. 18. *Appropinquas portas mortis.* D

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλησι.

Psal. 109. Maledicit David inimicis suis. Iliad. ξ. v. 142.

Ἀλλ᾽ ὁ μὲν ὣς ἀπόλοιτο, θεὸς δέ ἑ σιφλώσειε.

Caput XXII.

PARALLELA INTER SACROS SCRIPTORES ET HESIODUM.

HEsiodum si nihil aliud saltem ἀποσπασμάτιον aliquid vidisse crediderim ex Genesi primo laceratum & turpiter interpolatum, cuius titulus erat אלהים ברית, hoc est, Creatio Dei. Interpres id Græcè dixerat: θεογονία, q.d. πάντων ἐκ Θεοῦ γένεσις, Hesiodus interpretatus est, γένεσις θεῶν. Huius ἀποσπασμάτιον paucula vestigia recognoscas apud Hesiodum.

Gen. 1, 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Hesiod. v. 105.

Κλείετε δ᾽ ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων
Οἳ γῆς ἐξεγένοντο καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.

B Gen. 1, 2. Et terra erat inanis & vacua. TOHU & BOHU, pro quo legisse potuit aliquis COHU. Hinc Hesiod. v. 115.

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ᾽, αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ᾽ εὐρύστερνος πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρηνι φόεντος ὀλύμπου
Τάρταρά τ᾽ ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Ἠδ᾽ ἔρος ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι
Λυσιμελὴς πάντων τε θεῶν, πάντων τ᾽ ἀνθρώπων
Δάμναται ἐν στήθεσσι νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν.

C *Et dixit Deus sit Lux, & fuit.* EREB, i. e. *vespera, & fuit mane dies primus.*

Ἐκ χάεος δ᾽ Ἔρεβός τε μέλαινά τε νὺξ ἐγένοντο.
Νυκτὸς δ᾽ αὖτ᾽ αἰθήρ τε καὶ ἡμέρη ἐξεγένοντο.

Et Deus dixit: sit expansum.

Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόενθ᾽, ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτοι.

Et dixit Deus: congregentur aquæ in locum suum.

——— γείνατο δ᾽ οὔρεα μακρὰ
Ἡ δὲ καὶ ἀτρύγετον πέλαγος τέκεν οἴδματι θῦον.

D Ætates Hesiodi referunt umbram aliquam historiæ ex scriptura petitæ.

Ætas prima complectitur seculum, quod ab Adamo fluxit ad Noam, quem Κρόνον Græci, Latini Saturnum vocant: Utraque vox Hebraicè dominatorem nostrum significat. Adam messem semente priorem vidit.

Hesiod. vero, ἔργων v. 117.

——— καρπὸν δ᾽ ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον ———

Ovid. Metam. lib. 10.

Mox etiam tellus fruges inarata ferebat.

Satan Adamo dixerat: *Eritis sicut Dii.*

Hesiod. v. 112.

Ὥστε Θεοὶ ἔζωον ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες.

Secundum ætatem sic describit Ovidius Hesiodum secutus.

Postquam Saturno tenebrosa in tartara misso
Sub Iove mundus erat subiitq; argentea proles.

Jupiter Ægyptius antiquior est Cretensi. Ζεὺς est Deus. Hebræis *dai* dictus i. αὐταρκής. Jupiter est Jah. pater. Verum autem nomen eius, qui Deus cognominabatur, est *Hammon*, i. e. Cham. Is ostentatis per ludibrium pudendis patris obsequii paterni jugum excussit, & regem vel dominum agere cœpit.

Prius seculum vocabatur ἡγεμονικὸν, quod tum nõ aliud erat imperium, quàm ἡγεμονικὸν, quale est parentum in liberos. Deinceps cæperunt δεσποτικὰ, herilia. Tunc tamen, magna adhuc erat hominum longævitas. Itaq; Hesiodus v. 129. quasi alludens Esaiæ verba cap. 65. v. 20.

Ἀλλ᾽ ἑκατὸν μὲν παῖς ἔτεα παρὰ μητέρι κεδνῇ
Ἐτρέφετ᾽ ἀτάλλων μέγα νήπιος ᾧ ἐνὶ οἴκῳ.

Hæc ætas commodè porrigi potest usq; ad Babylonicæ turris exstructionẽ, quam Poëtæ Gigantomachiam seu Gigantum adversus Deos pugnam vocant, quam secuta est linguarum confusio gentiumque dispersio.

Ætas ænea complectitur ea tempora quæ sporadica dicuntur ab Aristotele Polit. lib. 3. cap. 10.

Ætati quartæ tribuit Hesiodus Heroica tempora, quibus Thebanum & Trojanum bellum tribuit. Sed Heroibus adnumerat Onomacritus Orphei nomine omnes Argonautas. Quin & omnes qui Græcos palantes ad civiliorẽ vitam & urbium exstructionem revocarunt, dicti sunt Heroës, Heroum ultimi sunt filii eorum, qui Trojam expugnarunt.

Ætatem quintam Hesiodus ferreã vocat, & ad suam usq; ętatem producit, mortuus quingentis ferè post bellum Trojanum annis circa XVIII. Olympiadem.

A Epimetheus Hesiodi videtur Adamum Pandora Evam designare. Prometheus serpentem, quod & acutè Leschassevius noster conjectabat, jubeat Epimetheum à Jovi, i. e. Deo diffidere, quodq; maledictus à Jove graviter puniatur. Variæ sunt Chronologorum de seculo, quo floruit Hesiodus sententiæ, sed quidni dicamus omnium veriorẽ esse sententiam Euphorionis, qui apud Clem. Strom. lib. 1. refert Hesiod. sub Gyge natum, periit A. M. 3323.
B Ita potuit Hesiodi filius Stesichorus Phalaridi, qui periit A. M. 3432. innotescere. Quod si natus est Hesiod. circa A. M. 3323. si nonagenario maior obiit, potuit audire, nescio quid de statua aurea, argentea, ænea, ferrea, quam Nabuchodonosor in somniis vidit A. M. 3405. Ut demus Hesiod. de Daniele nihil audivisse, Daniele vetustiorem certè recentior est Esaia & quibusdam aliis Prophetis. Homerus Mose, Davide, Salomone, Josaphatho, ut non
C temerè Theophilus VI. Antiochiæ Episcopus ad Artolycum lib. 2. contendat, Poetas à Prophetis multa suffuratos. Philastrius hæresi LXXVIII. *Nam quod & ipsa Græcorum, quæ videtur esse sapientia ex lege atq; Prophetis, & specialiter de David sit secundum tempus omnibus manifestum*: quasi dicat, Cùm multa tam apud Mosem & Davidem, quam apud Græcos inveniantur, & Moses ac David antiquiores sint Gręcorũ sapientibus, hinc liquet non illos ab istis,
D sed istos ab illis multos mutuatos. Eodem pertinet, quod Tatianus Assyrius contendit, *nihil eorum, quibus Græci gloriantur, studiorum apud ipsos natum, sed omnia à Barbaris inventa.* Bibliothecæ Patrum, to. 4. col. 1246. Ut igitur unde duxit initium, ibi desinat oratio, quidquid tandem statuatur de sacri fœderis aut eius aliquot partium in linguam Græcam versione, fixum illud immotumque maneat, sine Christi merito neminem, sine Christi notitia, sine vera in Christum & per charitatem operante fide neminem adultum

unquam

unquam salutem æternam adeptum, utut fœderis Evangelici scintillas aliquot in Græciam transvolasse fateamur, tamen lychnuchum ipsum in solo Dei templo fuisse constitutum, fœderis tabulas in arcâ Dei, reliquas Gentes cum Judaica comparatas fuisse Cimmeriis tenebris immersas, divini fœderis exortes, ut olim Judaicæ gentis, sic nunc Ecclesiæ Christianæ vel maximam hanc esse prærogativam, quod A illi commissa sunt oracula divina. Faxit Deus, ut iis legendis ad salutem nostram potiùs quàm scribendis libris maledicis ad mutuum exitium incumbamus, & omissis omnibus controversiis totos deinceps nos divini fœderis observationi dedamus in uno Christo, per unum Christum beatitudinem cœlestem adepturi. Amen. Sedani Ex A. D. X. Kal. Aprileis cIↃ IↃ CXVIII.

INDEX
RERVM ET VERBORVM IN HIS QVATUOR LIBRIS COMPREHENSORUM.

Fran-

R.

S.

Spiritus

T.

V.

FINIS.